PA
3865
Z5S7

619 d

QUÆSTIONUM

ANACREONTICARUM

LIBRI DUO

SCRIPSIT

CAROLUS BERNHARDUS STARK

Dr. Phil. et M. A. A. L. L.

COMMENTATIO
A SUMMO JENENSI PHILOSOPHORUM ORDINE PRAEMIO PRIMARIO
ORNATA, ACADEMIAE SUMTIBUS TYPIS
EXCUSA.

LIPSIAE,
EX OFFICINA STANGIANA.
MDCCCXLVI.

PA
3865
Z5S7

763301

PATRIS

CAROLI GUILIELMI STARK

PROFESSORIS QUONDAM ARTIS MEDICAE

JENENSIS

MEMORIAE

SACRAS HAS STUDIORUM PRIMITIAS

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quod vix sperabam, cum ab elaboranda hac dissertatione avocaretur animus summa patris valde aegrotantis cura mox mortui desiderio, fore ut vel unquam ad studiorum denuo instituendorum consilium, nedum ad felicis eventus spem eveherer, id ipsum mihi contigit quamvis et repugnante animi sensu ad laborem renovandum accedenti et corporis valetudine impedito. Sacro autem officio obstrictus mihi videbar, ne quae patris vel summis corporis cruciatibus oppressi movebat animum studiorum meorum cura atque spes, irrita plane fieret ac vana. Iam summi ordinis philosophorum Jenensis, qui ut praemio primario ornaretur dignam esse censuit dissertationem, auctoritate atque consilio confirmatus publico virorum doctorum judicio subjicere eam ausus sum. Quam rationem secutus

sim in re elaboranda, quid maxime spectarim, ex ipso libello apparebit; num quid pro juvenilibus viribus in Anacreonteis carminibus accuratius cognoscendis praestiterim, ii penes quos judicium est videant.

Scribebam Berolini d. XXIX. m. Jan. MDCCCXLVI.

Index editionum versionumque Anacreontis, quibus uti licuit.

Anacreontis Teii Odae ab Henr. Stephano luce et latinitate nunc primum donatae. 1554. Lutetiae.

Corp. Lyric. poet. ed. H. Stephanus. 1566. 1600. 1612. 1614.

Anacreontis omnia e musco Flayderi. Tub. 1621.

Les oeuvres d' Anacreon Gr. et Fr. par M. de Longepierre. Paris 1692.

Anacreontis Teii carmina ex rec. Baxteri ed. Fischerus. Ed. I. 1754. Ed. II. 1776.

Sappho und Anacreon übersetzt und erklärt v. Wahl. 1783.

Anacreontis carmina recens. Jo. Frid. Degen. 1786.

Anacreontis carmina ed. Brunckius. Ed. nova 1786. Ed. ster. 1817.

Anacreontica recensuit Fr. H. Bothe. Lips. 1805.

Anacreontis carmina rec. Ern. Ant. Mochius. Hal. 1810.

Anakreons Lieder aus dem Griech. von Degen. 1821.

Anacreontea recens. Frid. Mehlhorn. Glog. 1825.

Anthologia lyrica ed. Mehlhorn. 1827.

Anakreon nach seinem Leben beschrieben und übersetzt v. Richter. 1834.

Anacreontis carm. rel. ed. Theod. Bergk. Lips. 1834.

Anacreontis quae feruntur odaria rec. Lindau. Alis. 1840.

Corpus Lyric. ed. Th. Bergk. Lips. 1843.

In citandis genuinis Anacreontis fragmentis Bergkii editionem secutus sum, in Anacreonteis notae Arabicae Fischeri, graecae Mehlhorni ordinem significant.

Index dissertationum ad Anacreontica pertinentium, quibus usum sum.

Anmerkungen über den Anakreon v. Schneider. Leipzig 1770.

Animadvers. crit. in Anacr. carmina scr. Schwabe. Vin. 1778.

A. Fr. Wolper Commentationes tres, de antiqu. carm. Anacr. etc. Lips. 1825.

Peerlkamp Observationes criticae in Anacreontem in Actis Soc. Rheno-Traj. fasc. I. 1826.

Mehlhorn Uebersicht der neuesten Anakr. Litteratur in Jahni Annal. 1827. III, Nr. 3.

Welcker Anakreon in Mus. Rhen. ed. Welcker et Nacke III. fasc. 1. 2.

Lindau zur Kritik des Anakreon. in Zimmermanni Ephem. Ant. 1841. Nr. 105. 106.

Wiedemann Quaest. de antiquit. carm. Anacreonteorum part. I. in Progr. scholae ad aed. St. Annae. Petropol. 1843.

Index carminum secundum Stephani ordinem a Fischero receptum auctumque digestorum.

Od.	Pag.
1	46. 47.
2	87.
3	79.
4	53. 54.
5	73.
6	60.
7	79.
8	87.
9	86.
10	80.
11	63.
12	87.
13	60.
14	81.
15	54. 55.
16	47, 48.
17	67.
18	67. 68,
19	62. 63.
20	48. 49.
21	50.
22	50.
23	55. 56.
24	56.
25	56.
26	56. 57.
27	57.
28	68. 69. 70.
29	70. 71.
30	81.
31	61. 62.
32	51.
33	51. 52.
34	64.
35	71.
36	64. 65.
37	74. 75.
38	64.
39	57. 58.
40	82.
41	58. 59.
42	59.
43	77.
44	80.
45	82. 83.
46	52.
47	65.
48	59.
49	71.
50	77.
51	72.
52	76.
53	73.
54	65.
55	88.
59	83.
62	89.
Fr.	
I	88.
II	88.
III	76.

Index carminum secundum Melhornii ordinem digestorum.

Od.	Pag.
α′	86.
β′	59.
γ′	67.
δ′	67. 68.
ε′	83.
ϛ′	63,
ζ′	54. 55.
η′	61. 62.
ϑ′	87.
ι′	80.
ια′	60. 61.
ιβ′	81.
ιγ′	51.
ιδ′	86.
ιε′	68. 69. 70.
ιϛ′	70. 71.
ιζ′	50. 51.
ιη′	50. 51.
ιϑ′	81.
κα′	62. 63.
κβ′	48. 49.
κγ′	46. 47.
κδ′	87.
κδ′+	71.
κε′	51. 52.
κϛ′	47. 48.
κϛ′+	88.
κζ′	82. 83.
κη′	80.
κϑ′	79.
λ′	53. 54.
λα′	79.
λβ′	77.
λγ′	82.
λδ′	55. 56.
λε′	87.
λϛ′	58. 59.
λζ′	65.
λη′	56.
λϑ′	76.
μ′	59.
μα′	60.
μβ′	73.
μγ′	56.
μδ′	74.
με′	64.
μϛ′	56. 57.
μζ′	57.
μη′	57. 58.
μϑ′	64.
ν′	64.
να′	65.
νβ′	71.
νγ′	73.
νδ′	73.
νε′	77.
νϛ′	72.
νζ′	88.
νη′	76.
ξδ′	89.

Cum apud Graecos tria maxime vere lyricae poeseos, quae nisi cum cantu et musica conjuncta cogitari non potest, inveniantur genera, quorum primum ad publicum divini numinis cultum communesque populi conciones cum eo conjunctas spectat et totum in celebrandis diis hominibusque, qui virtute excellentes ad divinam quandam auctoritatem pervenerunt, versatur, secundum e singulari quidem alicujus sensu enascitur, tamen rebus publicis considerandis castigandisque maxime inservit, tertium intimis ut poetae ingenii ita domus privatae quasi adytis continetur, haec tria respondere tribus illis Graecorum gentibus, Doriensibus, Ionibus, Aeolensibus et poetarum historia et universa gentium indole confirmatur. Ex paucissimis autem lyricorum Graecorum reliquiis, quae saeculorum barbariem sacerdotumque ardorem effugerunt, plurimae aut Doricis hymnis epiniciisque aut Ionum elegis annumerandae sunt, ex Aeolica fide, quae tota sonabat amores aut festivis commissationibus intererat, nullus fere sonus ad nos penetravit nisi imitatoribus Romanis perferentibus.

Atqui quo magis Aeolica carmina et a deorum cultu, qui alius apud alium populum vel gentem erat, et plerumque a rerum publicarum condicione recedebant totaque in rebus versabantur, quibus omnium hominum animi peraeque afficiuntur, eo facilius percipiebantur omnibus temporibus imitandoque exprimebantur. Quid igitur mirum, quod ex quo tempore Anacreontica carmina H. Stephani cura a. 1554 prodierunt in lucem, quae si non Aeolica dialecto conscripta tamen easdem res eadem ratione tractare videbantur, non alius fere liber tanta tot doctissimorum hominum studia excitarit, tanta populorum acclamatione atque laudibus cumulatus sit.

Quin, quod ad popularium quidem nostrorum litteras attinet, per longum temporis spatium omnibus, qui lyricam palmam assequi studebant, carmina ista vel verbotenus exprimenda videbantur, quo magis ridiculum cogitar non potest, cum sensus fere poetarum maxime abhorreret a carminum sententia. At utrum illa carmina jure Anacreonti adjudicentur, quem tota antiquitas in ipso lyricae maxime Aeolicae poeseos flore vixisse ac summum

fere occupasse locum praedicat, an multo seriori aetati diversisque hominibus adscribenda videantur, mox post editionem a Stephano factam quaesitum est. Primus quidem exstitit *Robortellus*, vir vere criticus, qui in libro de ratione corrig. p. 26 ed. Patav. 1557 ubi Stephani incuriam in manuscriptis tractandis vituperat, haec omnia carmina nihil nisi insulsos quosdam posterioris aevi lusus esse professus est; caussas non addidit ille ex more aetatis, in qua pro insigni antiquitatis cognitione rectoque veri ac genuini sensu vera statim amplectebantur et audacia quadam proferre non cunctabantur, etiam si singularum caussarum non conscii essent.

Sectatorem invenit acerrimum *Pauum*, qui in singulis carminibus interpretandis externas maxime nec admodum graves caussas ad auctoritatem carminum infringendam attulit. Multo magis ad poeticam carminum rationem animadvertit Taneg. *Faber* indeque verissime de carminibus dijudicavit. Nihilo minus apud plurimos viros doctos tanta Anacreontis nomini his carminibus inscripto tribuebatur auctoritas, ut alii, *Barnesius* maxime, libere in textu mutando ad Ionicamque dialectum conformando grassarentur, alii, inter quos *Baxter*, vel maxima metrorum vitia aut sententiarum ineptias mira pertinacia animi defenderent. Quod jam *Bentlejus* Ep. ad Gaconium summus fere, qui unquam fuere criticorum, viderat, pauca Anacreontis genuina admixta esse magnae imitationum ex diversis temporibus repetendarum farragini, id nostro tempore posteaquam *Spaletti* 1783 et *Levesquius* codice Pal. comparato ex Anthol. Palatina ediderunt carmina, posteaquam *Hermanni* ingenio ac sagacitate et metricae leges et grammaticae distinctius constitutae sunt, magis magisque viris doctis probabatur. Accedit quod nostro demum tempore quae sit popularium carminum et in universum et apud Graecos ratio quomodo propagentur populique ore sensim mutentur, magis declaratum sit cf. *Zell.* Feriar. script. I., p. 53—91. *Koester* de cantilen. popular. vet. Graec. *Schneider* quidem Annot. ad Anacr. p. LVI. de duobus Anacreontibus cogitat, cum carmina ista cum veterum testimoniis consociare non possit; quid autem valeat haec explicandi ratio in carminibus, in quibus non duorum sed plurimorum ingeniis, arte diversissimorum hominum vestigia insunt, quivis intelligit. Quare optime *Hermannus* cf. Epit. doctr. metr. ed. II. p. 171 tria carminum genera in illa Anacreonticorum anthologia inesse statuit: „paucissima videntur Anacreontis esse, pleraque multo recentiorum, quaedam etiam plane imperitorum hominum sunt," cum eoque consenserunt *Peerlkamp.* Observat. in Anacr. in Actis soc. Rheno Traj. I. p. 161. *Degen* Vers. germ. p. 13. *Wolper* Comment. de antiquit. carm. Anacr. p. 6. *Henrichsen* De polit. versu. p. 18. *Wiedemann* Quaest. de ant. carm. Anacr. part. I in Progr. Petrop. 1843. Hermanni vestigia premens *Mehlhornius* primus in grammaticam metricamque carminum Anacreonteorum rationem tanta ingenii acie inquisivit, ut et quae protulerit non facile negaveris

neque quae addenda videantur scias. Non desunt quoque viri critici, qui nihil vere Anacreonticum in Anacreonteis inesse profitentur. *Bergkius* Ed. Anacr. p. 4. p. 252 aliis locis summa acerbitate in ea invehitur, omnia Anacreonti abjudicanda censet, cantiunculas satis novitias dicit. *O. Muellerus* Histor. gr. litter. p. 338 caussas, ex quibus rejicienda sint, ad totam carminum collectionem pertinere profitetur, diversamque eorum naturam ex diversa imitatorum indole atque arte profectam esse censet. *Bernhardy* Hist. gr. litt. II p. 497 haec habet: „nichts weist in ältere vorchristliche Zeit zurück; Mehrzahl wenig vor Justinian entstanden."

Contra nostris ipsis temporibus exstitit Anacreonteorum propugnator *Lindau*, qui in Praef. p. X. editionis graece scripta haec profitetur: *ἃ μὲν φαῦλά ἐστιν ἔννοιαν καὶ ποιητοῦ ἀρχαίου, παντάπασιν ἀνάξια, ἢ ὅσων τὰ μέτρα ἔοικεν εἶναι ἀνίατα, ἀθετήσαντες τὰ λοιπὰ ἐτολμήσαμεν ἀπὸ τῆς ὑποψίας ἐκείνης καὶ καταφρονήσεως ἀμωσγέπως ἀπολύειν καὶ πάλιν-τίμια αὐτὰ ποιεῖν.* Quo consilio ductus decem tantum odaria od. 1 (*M.* κγ′). 18 (δ′). 24 (λη′). 25 (λϑ′). 26 (μς′). 27 (μζ′). 49 (κδ′) 48 (β′ †). fr. I (νϑ′). fr. III (λϑ′) omisit reliqua pro genuinis venditans. Sic autem rem instituit, ut neque metrorum rationem, qualis constituta est ab Hermanno aliisque, respiceret neque strophas agnosceret neque verborum formas secundum dialecti leges sub examen vocaret; obcaecatus quodammodo Anacreontis sui amore novum plane facit transponendo, mutando, conjiciendo. Quae cum ita sint, de plurimis locis disputari cum eo non potest, cum terra communis, e qua pugnetur, non jam sit data.

Jam nobis ad carminum rationem explicandam accedentibus, ut quid Anacreonti, quid imitatoribus vindicandum et quid pretii utrisque tribuendum sit, appareat, ante omnia videndum est, num hae duae quaestiones in unum conjungi possint.

In universum quidem poetica vis non minimi nobis in arte critica exercenda erit momenti, quanquam a novissimis editoribus fere nulla ejus ratio habita est metuentibus, ne in inanem illum orationis tumorem inciderent, qui ut philologis plane indignus est ita rem ipsam magis nebularum tenebris involvit, quam luce artis criticae illustrat. Attamen non desunt carmina, quae nobis quidem satis pulcra ac venusta videantur, nihilo minus ab Anacreontis aetate longissime recedant. Quare cum in priore libri parte certa quaedam criticae artis in Anacreonteis exercendae fundamenta jacienda sint, posterior in singulis carminibus eorumque poetica ratione declaranda versabitur. Quod ad priorem quaestionem attinet, non tam id nos assecuturos esse sperare licet, ut quid necessario Anacreonti tribuatur, eliciamus, quam quid ei abjudicandum et cuinam imitatorum generi vindicandum sit, evincamus. In summa enim testimoniorum externorum inopia (nisi tribus enim in locis afferri non possunt) vel totus rei cardo in indaganda interna

carminum ratione versatur. Quid autem vel diligentissima eorum perscrutatio nobis prodest, nisi habeamus, quo tanquam modo atque regula uti possimus? Quare ante omnia Anacreontis ipsius, qualis et a scriptoribus perhibeatur et ex paucis genuinis fragmentis elucceat, imaginem nobis proponamus necesse est, non ita quidem ut quae usque ad taedium repetitae sunt ex ejus vita narratiunculae, repetam, sed quae scripserit, quid decantaverit, quid judicarint veteres de poetica ejus natura, quomodo verbis proposuerit, quae ejus fuerit metrica ratio, quae dialectus, quomodo enunciationes conjunxerit, quantum fieri potest explicem. Praeclare quidem Bergkius in Prolegom. de his rebus disputavit, tamen non certum quemdam ordinem secutus est, ut facile complectare singulas res, quod jure ei opprobrio fecit Welcker Cens. Mus. Rhen. III, 1, p. 128, neque, quod ab ejus consilio alienum fuit, ad Anacreontea carmina respexit.

Secundo loco quomodo Anacreontis carmina apud veteres tradita sint, quid elaboraverint grammatici in iis, quae imitatorum vestigia appareant, investigemus necesse est. Lubricus sane locus est, ubi de imitatione poetarum ut Graecorum ita Latinorum disputetur neque forsitan in alia re tantopere hariolati sint viri docti, cum quidquid de eadem aut simili re ageret, etiamsi in verbis ipsis ne minima quidem inesset similitudo, congererent congestaque pro imitationibus venditarent. Quare cautius quam uberius de hac re agendum est. Atque minime praetermittenda est cum codicum ipsorum, e quibus carmina illa expressa sunt, condicio tum consilium atque via quam Const. Cephalas in colligenda Anthologia graeca secutus sit. Quibus peractis jam via ad carmina singula consideranda dijudicandaque munita est.

LIBER PRIMUS.

DE ANACREONTE ANACREONTEISQUE CARMINIBUS IN *UNIVERSUM* DISPUTATUR.

Cap. I.

De Anacreontis carminum Anacreonteorumque interna condicione.

§. 1.

Quae scripsisse dicatur Anacreon, quae poeseos genera reperiantur in Anacreonteis.

Ante omnia veterum scriptorum testimonia adeunda videntur, e quibus quid scripserit poeta, appareat. Primo loco nobis afferendi sunt Schol. Plat. Phaedr. p. 312. ed. Bekker: *καὶ οὗτος* (Anacreon) *λυρικὸς ποιητής* et Suid. s. v. *Ἀνακρέων-λυρικός*. s. v. *Τέω. Ανακρέων-λυρικὸς ὁ μελοποιός*. Cum enim duo maxime Graeci poeseos genera esse statuerint, *διηγηματικόν* et *δραματικόν* ut lyricum subjungeretur *διηγηματικῷ*, nihil in universum hoc epitheto significatur quam alteri poeseos generi adscribi Anacreontis carmina. At num in Crinagorae epigr. Anthol. Pal. XI. n. 239:

Βύβλων ἡ γλυκερὴ λυρικῶν ἐν τείχεϊ τῷδε
Πεντὰς ἀμιμήτων ἔργα φέρει χαρίτων
Ἃς πρέσβυς ἡδὺς Ἀνακρέων ὁ Τήιος
Ἔγραψεν ἢ παρ' οἶνον ἢ σὺν Ἱμέροις.

lyricis libris omnia Anacreontis carmina continerentur, non injuria in dubitationem vocavit Welcker. Cens. Mus. Rh. III, 1, p. 145. cf. Richter p. 20. quae enim explicandi caussa adjunguntur verba: *παρ' οἶνον ἢ σὺν Ἱμέροις*, ea non quadrant nisi ad *παροίνια* et *ἐρωτικὰ μέλη*, minime ad iambos et epigrammata. Atqui ne hymnorum quidem mentio facta est in his versibus quanquam Hephaestione p. 125 ed. G. teste hymnus ille in Dianam primum occupavit inter carmina locum. Quare optime his quinque libris ut hymni ita iambi et epigrammata inesse poterant, quae cum paucissima essent, eorum non mentionem fecit Crinagoras. Cicero quoque Quaest. Tusc. IV, 33. Anacreontis poesin totam amatoriam esse contendit non respectis aliorum generum

carminibus. Quatuor autem maxime lyricae poeseos genera commemorantur, in quibus elaboraverit Anacreon, ex ominibusque adhuc exstant fragmenta: *ὕμνοι, μέλη (σκόλια), ἴαμβοι, ἐλεγεῖα.* Suidas quidem altero loco *ἐλεγεῖα καὶ ἴαμβους*, altero *παροίνια τε μέλη καὶ ἰάμβους* affert, in quorum neutro ut omnia enumeraret genera poeseos Anacreonticae spectavit. *Meleager* Prooem. Anth. Pal. IV. p. 71: *ἐν δ' ἄρ Ἀνακρείοντα τὸ μὲν γλυκὺ κεῖνο μέλισμα νέκταρος εἰς δ' ἐλέγους εὔσπορον ἀνθέμιον* sine dubio dulces, ut Ter. Mauri p. 1246 verbis utar, cantilenas, quae ad vinum et amorem spectant, elegis opponit, quae anthologiae injuncta sint, non quae pepegerit Anacreon spectans.

Hymnos quin pepegerit Anacreon nemo jam dubitabit, quanquam et obstare videtur ap. Schol. Pind. Isthm. II, v. 1 locus, quem optime explicavit Bergk. Anacr. p. 10, neque quod a Simonide Anthol. Pal. ed. Jac. VII, p. 428. n. 25 poetae tribuitur epitheton: *τὸν ἄφθιτον ἕινεκα Μουσῶν ὑμνόπολον* necessario ad hymnos refertur cf. Anth. Pal. IX. p. 31. n. 87 *Φοῖβος ἐὸν τιμῶν ἢ Θέμις ὑμνόπολον* de Pylade actore. cf. Anth. Pal. IX p. 31. n. 87: *στέργει ὑμνοπόλους Βρόμιος* de ave canente Id. IX p. 42. n. 122: *ὑμνοπόλοις στόμασιν* de cicada. Id. IV, Mel. prooem. v. 13: *Ἀλκαίου τε λάληθρον ἐν ὑμνοπόλοις ὑάκινθον*, in quibus omnibus locis *ὑμνόπολος* de unoquoque artem musicam exercente dicitur cf. Dorvill. Vann. crit. p. 153. Arnold. Animadv. 9. Schneid. Annot. p. 343. Inter fragmenta enim a Bergkio collecta primo loco positus hymnus est, in quo Diana invocatur ut Magnesiorum urbem tueatur; sequitur hymnus ad Dionysum qui conjunctus cum Amore, Nymphis, Venere ut deveniat Cleobuloque amato adsit, expetitur; quin fr. LXIV inter hymnos referendum videtur; profitetur enim poeta se Amorem diis hominibusque imperantem decantaturum. Accedit quod Himerius Or. III. p. 426 ed. Wernsd.: *ἐκ τῶν ἀποθέτων Ἀνακρέοντος τοῦτον σοὶ φέρων τὸν ὕμνον* vel plures Anacreontis hymnos novit, cujus initium tum profert paullo immutatum (*καί τι καὶ αὐτὸς προσθεὶς τῷ ᾄσματι*) in eo dicitur aliquis lux Graeciae, maxime poetarum; cur Bergkius ad Hipparchum tyrannum retulerit, non video; Athenienses enim non commemorantur, sed poetae, qui in Minervae templo Musarumque lucis versentur.

Inter Anacreontea carmina nullum hymni vestigium exstat, nisi quod in pessima cantiuncula 62 (ξδ'), quae cui aetati adscribenda sit, metro arguitur, ab initio Cyprin, Himeron, Gamon celebraturum se profitetur scriptor.

Jam ad *μέλη* pervenimus, in quibus quantopere excelluerit Anacreon et scriptores declarant et fragmenta probant. Huc referenda est maxima Anacreonteorum pars; hic igitur quid intersit inter genuina Anacreontis carmina et Anacreontea maxime investigandum. Jam Simonides praedicat Anacreontem propter *μέλη* Anth. Pal. VII, p. 313. n. 25: *πνείοντα μέλη — ἥρμόσατο;* Theocritus Anth. Pal. IX p. 213. n. 599: *τῶν πρόσθ' εἴ τι περισσὸν ᾠδοποιῶν;*

postea raro Anacreontem citatum invenies non addito epitheto ὁ *μελοποιὸς* ὁ *τῶν μελῶν ποιητής* cf. Luc. Macrob. c. 9. 13. Suidas s. v. *Τέως*. In universum quidem *μέλος* elegis, iambis, epigrammatibus opponitur cf. Procl. Chrestom. Exc. ap. Phot. Bibl. Cod. CCXXXIX. Ulrici Hist. Gr. poes. II, p. 116; carmina enim illa quae *μέλη* dicuntur semper ad instrumentum musicum ut lyram, citharam canebantur, nunquam recitabantur. Mox autem inter melica carmina duo maxime genera disjungebantur; alterum (*χορικὴ ποίησις*) a choris ad id ipsum exercitatis canebatur, strophis utebatur summa arte elaboratis, saltatione adjuvabatur, totum in publicis rebus, in festis diebus versabatur, alterum a singulis aut pluribus ad lyram canebatur, aut eodem plane metro semper repetito leviter fluebat aut strophis brevibus neque artificiosis continebatur, quae poetae animum moverent, declarabat. Huic maxime generi *μέλους* nomen adhaerebat; in hoc ipso Anacreon palmam tulit. In amore autem ejusque et deliciis et cruciatibus maxime versari Anacreontis melica carmina non mirabere, praesertim si Ioniae situm, populi naturam facile excitatam, rerum omnium affluentem copiam, qua utebatur Anacreon Polycrati, tum Pisistratidis conjunctissimus, respicis. Ἐρωτικὰ carmina ab omnibus Anacreonti adscribuntur; cf. Simon. Ep. Anth. Pal. VII, p. 313. n. 24: *κρούων τὴν φιλόπαιδα χέλυν*. Id. Anth. Pal. l. l. n. 25: *μέλη πνείοντα δ' Ἐρώτων*. Eugenes A. P. IV, p. 720: *χέλυς δ' ὅμως τὸν εἰς Ἔρωτας ὕμνον ἀθροΐζεται*. Ath. XIII, 600 d: (Ἔρωτα) *ὃν ὁ σοφὸς ὑμνῶν ἀεί ποτε Ἀνακρέων πᾶσιν ἐστὶ διὰ στόματος*. cf. Antip. Sidon. A. P. p. 316. n. 23. p. 314 n. 27. p. 316 n. 30. p. 720 n. 309, qui quidem loci et ad vitam et ad poeticam Anacreontis rationem referendi sunt, quin Clemens Alex. Strom. I. p. 365. cf. Bergk. An. p. 7 excogitata primum erotica carmina ab eo essse prodit; quod quamvis falsissimum sit, tamen quanti fecerint veteres Anacreontem in hoc genere, apparet. Quare aut cum Alcaeo, aut cum Sappho conjungebatur ubi eroticorum carminum ratio habebatur cf. Paus. I, 25 sq. Ἀνακρέων πρῶτος μετὰ Σαπφὼ τὴν Λεσβίαν τὰ πολλὰ ὧν ἔγραψεν ἐρωτικὰ ποιήσας. Gregor. comment. in Hermog. p. 914. Bergk. An. p. 265: *ὅσα ἐισὶν ἐρωτικὰ οἷον τὰ Ἀνακρέοντος τὰ Σαπφοῦς*. Sext. Empir. adv. Mathem. I, 13, 197. Adnotatt. Procl. Chrestom. in Hephaest. ed. Gaisf. p. 425: *οἱ μὲν ἐρωτομανεῖς καὶ μέθυσοι τὰς Ἀλκαίου καὶ Ἀνακρέοντος ποιήσεις λέγοντες προσεκκαίονται*. Huic ipsi carminum generi adscribenda sunt haec Anacreontis fragmenta fr. 3. 4. 5. 13. 16. 17. 21. 23. 30. 39. 42. 43. 44. 45. 47. 49. 56. 60. 65. 71. 77. 79. 80. 89. 93. 107. 108. 131. 133. 135. — Quid autem de Anacreonteis carminibus dicendum? Inveniuntur sane carmina, quae tota in amore versantur iisque plerumque a grammaticis, *ἐρωτικὸν ᾠδάριον* inscriptum est *έ, ϑ', ι', ιβ', ιγ', ιζ'*, (*ἐρωτικὸν ᾠδάριον*), *κβ', κγ', κδ'* (*ἐρωτικόν*), *κέ, κ' ς'* (*ἐρωτικὸν ᾠδάριον*), *κς'†, κζ', κζ†, κή, κϑ'* (*ἐρωτικόν*) [*λ'* dicitur quidem *ἐρωτικόν*, sed plane ad *παροίνια* referendum videtur] *λα', λδ',*

λέ, [μ' inscribitur ἐρωτικὸν ᾠδάριον, quanquam et ipsum ad παροίνια potius annumerandum est] μά (ἐρωτικὸν ᾠδάριον). Sed si internam carminum naturam spectamus, plane a genuinis fragmentis recedunt.

At non in amore solum Anacreontis μέλη versantur; non tanto amoris ardore ut Sappho urebatur, ut alias res plane non curaret, ut vitae hilaritate, quae maxime inter sociorum commissationes elucet, plane se abdicaret huic uni amori animum dediturus; amoris repulsam cum tulisset, ad festivas commissationes confugit Dionysumque non minus quam Amorem celebravit. Quare Suidas l. l. παροίνια Anacreontis commemorat; Leonid. Tarent. Anthol. Plan. IV, p. 719. n. 306: Βακχιακὸν θέραπα eum dicit; Antipater Sidon. A. Pal. VII, p. 314. n. 26: ὁ Διωνύσου μεμελημένος οἰνάσι κώμοις ὁ φιλακρήτου σύντροφος ἁρμονίης; quin Athen. I, p. 429 b: ὃ Ἀνακρέων ὃ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ποίησιν ἐξαρτήσας μέθης id ipsum ei opprobrio dat; ad carmina quoque referendum Antip. Sidon A. Pal. VII, p. 315 n. 27: — Διονύσῳ-κατεσπείσθη πᾶς ὁ τεὸς βίοτος. Ante omnia autem videndum quae παροίνια sint, quae ratio inter παροίνια, σκόλια, συμποσιακά intercedat; scoliis enim quoque excelluisse Anacreontem ex Athenaei verbis apparet cf. XV, 693 s: ἐμέμνηντο δὲ οἱ πολλοὶ καὶ τῶν Ἀττικῶν ἐκείνων σκολίων ἅπερ καὶ αὐτὰ ἄξιόν ἐστί σοι ἀπομνημονεῦσαι διά τε τὴν ἀρχαιότητα καὶ ἀφέλειαν τῶν ποιησάντων καὶ τῶν ἐπαινουμένων ἐπὶ τῇ ἰδέᾳ ταύτῃ τῆς ποιητικῆς Ἀλκαίου τε καὶ Ἀνακρέοντος ὡς Ἀριστοφάνης παρίστησιν ἐν Δαιταλεῦσι λέγων οὕτως: Αἶσον δή μοι σκόλιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος. Quod ad συμποσιακά attinet, in folio quod codici Palatino anthologiae Graecae adglutinatum est, index legitur in quo haec insunt: Ἀνακρέοντος Τηΐου συμποσιακὰ ἡμιάμβια καὶ ἀνακρεόντια καὶ τρίμετρα. Recte Mehlhornius vidit ἡμιάμβια non novum quoddam carminum genus significare sed ad συμποσιακά appositum esse. Si verba ipsa παροίνια et συμποσιακά spectamus, nihil aliud significant nisi carmina inter commissationes, ad potandum idonea; contra in σκόλιον jam a principio certa quaedam significatio latet, quam viri docti varie elicere studuerunt. cf. Ilgen. Disquis. de scol. poesi. Ulrici Hist. gr. poes. II. p. 377. Recte Ilgenius veterum testimonia secutus scolia ea esse statuit carmina convivalia, quae certo quodam quamquam liberiore metro a peritissimo quoque canebantur, ita ut eadem res saepius variaretur. Sed quod p. CXCV aliud genus carminum convivalium σκόλια aliud παροίνια putaverit, quae ab omnibus convivis deinceps cantata sint serie continua, ubi indoctiori aeque illicitum erat cantum defugere ac doctiori alios minus exercitatos ludicro excludere, id nulla scriptorum auctoritate nititur (cf. Koester de cantilen. popul. p. 70). Ex Procli enim Chrestomathia: τὸ δὲ σκολιὸν μέλος ᾄδετο περὶ τοὺς πότους διὸ καὶ παροίνιον ἐσθ' ὅτε καλοῦσιν αὐτό. Schol. Ar. Vesp. 1231: σκολιὰ τὰ παροίνια μέλη, Hesych. σκολιὰ τὴν παροίνιον ᾠδὴν ἔλεγον. Maxim. Tyr. Diss. XXIII, p. 450: ἀλλ' οὐ πᾶσι καλὰ

οὐδὲ ἀεὶ καλὰ· οὐδὲ γὰρ τῶν ἐν μουσικῇ μελῶν εἷς νόμος οὐδὲ εἷς χρόνος· καλὸν μὲν ἐν πολέμῳ τὸ Ὄρθιον καλὸν δὲ ἐν συμποσίῳ τὸ Παροίνιον — plane apparet *παροίνια* nihil aliud quam universe carmina inter scyphos cantata significasse, quorum species fuerint *σκόλια*. — Si argumenta carminum convivalium spectamus, poeta sine dubio res, quae ad ipsum solum pertinebant, quibus ipse maxime movebatur, minus tractavit, sed in iis versabatur, quae ad compotationem pertinent; quare aut vinum canebat vinique datorem Bacchum aut ad hilaritatem excitavit; praecepta, quae ad mores emendandos spectant saepissimeque in scoliis proferebantur, non apud Anacreontem invenimus, nisi quod fr. 62. 69 ad clamorem Scythicum fugiendum adhortatur. His *παροινίοις* ex genuinis fragmentis fr. 7. 13. 14. 37. 40. 52. 53. 61. 62. adscribenda videntur; Anacreontea paene omnia huc referenda. Quantum discriminis in his carminibus intercedat, quanquam poetae natura maxime recedit in hujusmodi rebus tractandis, mox videbimus.

Quod novum sequitur carminum genus *ἴαμβοι*, in eo poeta maxime et Ionicam stirpem et suam ipsius naturam comprobat. Ut enim amores atque hilaritas animi versibus ipsis exprimebantur, sic irae atque odium non mente recondita manebant sed effundebantur carminibus. Sed alia est ceterorum Ionicorum lyricorum atque Anacreontis ratio cf. Jul. Misopog.: *Ἀνακρέοντι τῷ ποιητῇ πολλὰ ἐποιήθη μέλη σεμνὰ καὶ χαρίεντα· τρυφᾶν γὰρ ἔλαχεν ἐκ μοιρῶν, Ἀλκαίῳ δ' οὐκέτι οὐδ' Ἀρχιλόχῳ-τὴν Μοῦσαν ἔδωκεν ὁ Θεὸς εἰς εὐφροσύνας καὶ ἡδονὰς τρέψαι· μοχθεῖν γὰρ ἄλλοτε ἄλλως ἀναγκαζόμενος τῇ μουσικῇ πρὸς τοῦτ' ἐχρῶντο-τῇ εἰς τοὺς ἀδικοῦντας λοιδορίᾳ.* Dum enim illi in rebus publicis versantur et pro *παῤῥησίᾳ* illa, quam posteriore tempore Athenienses semper libertatis palladium esse statuerunt, acerrimis iambis eos, qui ad gubernacula reipublicae sedebant, persequebantur, Anacreontis, qui tyrannis conjunctissimus a politico illo studio atque contentione abhorrebat, iambi aut in amatos, qui repudiarunt poetam aliis gratiam laturi, aut in eos, qui pecunia maxime amatas sibi conciliarant, cavillationibus invehebantur cf. fr. 6. 19. 84. 87. 90. Nihilominus patriam ipsi cordi fuisse fr. 33. 76. probant, ubi de patriae miserie queritur; alio loco fr. 51 ad factiones, quae Samo pollebant, respicit. Anacreontem non senem illum temulentum fuisse, qui ex alia voluptate in aliam irruens viri fortis atque honesti naturam plane exuerit, ex iambis optime apparet. At in Anacreonteis iamborum nullum plane vestigium.

Elegias denique silentio praetermittere non possumus, quae ab Hephaest. p. 12. ed. Gaisf. et Suida adscribuntur Anacreonti iisque epigrammata contineri recte vidit Welcker Cens. Mus. Rhen. III, p. 141. Quae una servatur ab Athenaeo XI, p. 463 elegia, et ipsa ad compotationem pertinet. Ex epigrammatibus cum nonnulla manifesto ad seriorem aetatem pertineant, in aliis doricae formae cum ionicis permixtae sint, difficile aliquid ad Anacreontis imaginem proponendam elicias.

§. 2.

Quae poetica et carminum Anacreontis et Anacreonteorum natura sit.

His disputatis cum Anacreontis carmina multo latius patuisse appareat, quam quae ejus nomine circumferuntur, si ad poeticam Anacreonteorum rationem magis investigandam progredimur, et scriptorum testimonia colligenda sunt et *ἐρωτικὰ* atque *παροίνια* genuina cum illis comparanda. Ex epithetis, quibus scriptores exornant poetam, parvum quidem nascetur emolumentum, cum maxime sint communia atque usitata, nihilominus ipsa videamus:

1) *Σοφός* cf. Ath. XV, p. 687. XIII, 600 et *Τήϊος σοφιστής* cf. Max. Tyr. VIII, 96 dicitur, quod nihil aliud significat nisi poetam in universum, quippe qui altiore quadam rerum divinarum atque humanarum cognitione frui videatur cf. Richter p. 19. Non possum non adscribere Fischeri verba ed. Anacr. II, p. 139, unde quid ille pro poetico ingenio venditarit apparet: „*σοφοὶ* sunt poetae; nam nemo audebat tum poemata scribere nisi qui esset „egregie doctus(!!)

2) *Ἥδιστος* Ath. XIV, 634. c., *μελιχρός*, Ath. XV, 671. e. 673. d., *βύβλων ἡ γλυκερὴ πεντάς* Crinag. in Anth. Pal. IX, p. 81. n. 239, *Ἀνακρείοντα τὸ μὲν γλυκὺ κεῖνο μέλισμα νέκταρος* Meleag. Prooem. A. P. IV, p. 71, Anacreonta dulces composuisse cantilenas Ter. Maur. p. 1246: haec omnia referenda videntur et ad res ipsas quas tractavit Anacreon et ad versus leniter fluentes verborumque conjunctionem auribus gratam. Quare facile Anacreon audientium animos irretire carminum illecebris videbatur cf. Anth. Pal. IX, p. 203. n. 571: *πειθὰ Ἀνακρείοντι συνέσπετο.* Gregorius Comment. in Hermog. p. 914 cum *αἰσχρῶς κολα-κεύειν* dixit *ἐκεῖνα ὅσα εἰσὶν ἐρωτικὰ οἷον τὰ Ἀνακρέοντος τὰ Σαπφοῦς* certas dicendi formulas affert: *γάλακτος λευκοτέρα, ὕδατος ἁπαλωτέρα, πηκτίδος ἐμμελεστέρα, ἵππου γαυροτέρα, ῥόδων ἁβροτέρα, χρυσοῦ τιμιωτέρα, ἱματίου ἑανοῦ μαλακωτέρα.* Apud Gellium N. A. 19, 9 ecquis nostrorum (Latinorum) poetarum tam fluentes carminum delicias fecisset, nisi Catullus — forte pauca et Calvus itidem pauca, interrogant Graeculi homines. — Atque illud ipsum ludendi vocabulum quod Horatius de Anacreonte usurpat Od. IV, 9, 9: „nec si quid olim lusit Anacreon referri non potest nisi ad gratissimam illam Ionum levitatem quae et in argumentis deligendis et in externa forma apparet.

3) Lepidissimos versus senis Gellius l. l. Anacreontis esse dicit. Quid lepidi versus sint, ex loco Ciceronis apparebit ad Her. IV, 23, ubi lepida et concinna opponit pulchris et amplis, quae diu placere possint dum illa facile satietate animos afficiant. Id enim Anacreonti datur ut in carmine certis finibus circumscripto imago quaedam aut sententia absoluta proponatur, in qua omnia bene disposita atque comparata sunt.

4) Quae Julianus Misopog. l. s. l. addidit Anacreontis carminibus epitheta: *μέλη σεμνὰ καὶ χαρίεντα*, ea non interpretanda sunt, quasi duo carminum genera, sublimius alterum, alterum levius significentur, sed ex sequentibus apparet opponi Alcaei et Archilochi carminibus, quae cum magnam partem ex pectore irato atque acerbato funderentur, neque quietem illam modumque poeta dignum tenerent (*σεμνά*) neque grata audientium animos delectatione (*χαρίεντα*) afficerent.

5) Ut *λίγειαν φόρμιγγα* praetermittamus, qualem describit Synesius h. I, v. 2. citharam Anacreonteam, quae rhetores distinctius de Anacreonte poeta dicant, videamus. Hermogenes *περὶ ἰδεῶν* II, 3. Walz. Rhet. gr. III. p. 305 plurima apud Anacreontem ita sese habere dicit, ut necessitate non cogente neque quoquam interrogante res explicentur, quae proprie huc non pertineant. Ubertatis hujus, qua sententiae fines transgressus ad res magis remotas vagetur poeta, in fragmentis quidem vestigia non invenio. Alterum autem, quod ab Hermogene Anacreonti tribuitur est *ἀφέλεια, τὸ ἀφελὲς τῆς γνώμης* (Naivetät) cf. Hermog. *περὶ ἰδεῶν* Walz. III p. 306; ut parvuli inducantur matrem alloquentes aut pueri amantes aut feminae quas omnes dicit Hermogenes *ἀκάκους καὶ ἀφελεῖς ἀνθρώπους*. Minime autem cum Bergkio p. 20 *ἡ ἀφέλεια* in eo solum quaerenda est quod saepius de proposito digrediatur. Eadem *ἀφέλεια* respici videtur cum Locrica carmina quae popularibus recte adscripsit Koester de cantil. popul. p. 58 cf. Ulrici Hist. poes. gr. II p. 474 nihil fere ab Anacreontis et Sapphus carminibus differre dicat Ath. XIV, 639. Quanquam enim lascivia quaedam in rebus amatoriis utrique communis ad comparationem hanc instituendam excitavit, tamen carmen illud Locricum, quod exstat apud Athenaeum l. l., *ἀφέλειαν* illam, qualis ab Hermogene describatur, significari comprobat, inducitur enim puella aut uxor juvenem sum exhortans, ut quam celerrime aufugiat ne pater sive maritus rediens illum et ipsam perdat. Quis non meminerit *γυναῖκας λεγούσας καὶ νεανίσκους ἐρῶντας καὶ μαγείρους καὶ θρυπτομένας παρθένους καί τινας ἄλλους* Hermogenis? In fragmentis quidem paene nulla hujus simplicitatis exempla invenies, quia quo nexu sententiarum verba posita sint, non fere scias; attamen ea ipsa in Anacreonteis quam maxime apparet legentiumque animos maxime capit, ut novis saepe cantiunculis antiquitatis species inesse videatur. Quid enim? nonne Doriensis ille juvenis, qui Amorem vendit, columba illa, quae epistolam perfert Anacreontis, Amor, qui ape in rosa recondita laeditur, pugna cum Amore inita et quae sunt alia, vel summorum nostrae aetatis poetarum laudes propter simplicitatem tulerunt?

Jam ad ipsam fragmentorum poeticam rationem accedendum videtur eaque cum Anacreonteis comparanda est. Quod ad amatoriam poesin attinet, ante omnia num ex vero poetae sensu profecta sint carmina, num ad singula fata quae poeta perpessus sit, respiciant, num toti poetae ingenio sen-

tiendique rationi respondeant, videndum. Atqui ut de amatis illis, quos urebat Anacreon, loquar, et pueris et puellis illum placuisse constat cf. Ep. A. Plan. IV p. 720. n. 309: *ἴσον κούροις — ἁδόντα — ἴσον ἁδόντα κόραις* Theocr. A. Pal. IX, p. 213. n. 599: *προσθεὶς δὲ χὤτι τοῖς νέοισιν ἅδετι.* Inter pueros autem tres potissimum amore amplexus est eosque carminibus celebravit Bathyllum Megisten, Smerdian Thracem cf. Simon. A. P. VII, p. 313. n. 25. Id. p. 314. Antipat. Sid. A. P. VII, p. 314. n. 27. p. 315. n. 29. n. 30. Dioscor. A. P. VII, p. 316. n. 31. Leon. Tarent. A. Plan. IV, p. 719. n. 306. n. 307. Max. Tyr. VIII, p. 96 ed. min. Smerdian alloquitur poeta fr. 6 eumque sine dubio intelligit, cum fr. 47 de juvene Thraciam comam movente dicat. Megisthae mentionem facit fr. 39, qui jam decem mensibus viticea corona vinctus vinum bibat. Bathylli quidem vestigium non invenitur in fragmentis, sed duorum aliorum, quos summo amore persequitur poeta, Cleobuli et Leucaspidos cf. fr. 3. 5. Inter puellas autem Eurypyle saepissime commemoratur, quae placuerit poetae cf. Antip. Sidon. A. P. VII, p. 314. n. 27. Dioscor. A. P. VII, p. 316: — *ἁβρὰ χορεύσῃς βεβληκώς χρυσέην χεῖρας ἐπ' Εὐρυπύλην*, quae partim Anacreontis ipsius verba esse statuerim. Eurypylem quod ipsi eripuerit Artemon, acerbissime in eum fr. 19 invehitur. Utrum Lesbia fuerit cf. fr. 19 Eurypyle an Thracia cf. fr. 7, non dijudicarim. Affertur etiam carmen in Callicriten, Cyanae filiam, a Platone Theag. p. 125. D. Sed haec omnia sunt externa, in quibus poetae persona minus apparet, quanquam et in his ipsis Anacreontea magnopere differre a genuinis fragmentis videbimus. Transeamus ad varia fata, quae in amore ipso perpessus sit poeta, in carminibus investiganda. Statim nobis obvenit locus apud Leon. Tarent. A. Plan. IV, p. 719. n. 306 *μέλπει ἥξ Βάθυλλον* etc.

αἰωρῶν παλάμᾳ τὰν δυσέρωτα χέλυν.

Δυσέρωτα igitur vocat Leonidas lyram, in universum poesin Anacreontis, sine dubio ideo quod saepe ex amore puerorum aut puellarum excidit aut eum omnino comparare sibi non poterat. Jam fluctuantem Anacreontis animum amore, spe, invidia, dolore distractum nobis fingamus; eundem quam maxime in fragmentis expressum reperiemus. Pueros ipsum propter carmina amare debere existimat fr. 42; jam puerum moribus amabilem, quocum ludat, optat; sed altius evolat animus. Percuti ab Amore sibi videtur hiemalique lavari fluvio. Ita totum invertitur poetae ingenium amore. Tum furere se Cleobuli amore correptum fr. 3 profitetur, quin furentem se de Leucade rupe projecturum fr. 17. Puella cum amori non respondeat ipsumque fugiat, comparat fr. 49 cum hinnuleo lactante a matre disjuncto, fr. 79 cum pullo equino frena respuente. Sed repulsa lata animus magis movetur: queritur fr. 15. 81 quod puella seni poetae non jam audiat, plane se abdicat ab ea fr. 71, praedicat tempora illa fr. 30, ubi homines pecunia ad persuadendum non utebantur. Ad Olympum evolat animus, amore perculsus fr. 21, quia

puer cum poeta lascivire non vult. Atque ne diis quidem parcit, fr. 13 in Amores invehitur minaturque se non amplius iis carmen dedicaturum, nisi amatum puerum petant sagittis. — Omnia produnt excitatum poetae ingenium, omnia redolent commotum Ionum animum conjunctum cum Aeolico calore, nihil communis atque usitati, nihil ficti atque excogitati; hic vere pectus facit poetam. — Plane alia est Anacreonteorum ratio. Ex pueris, quos amasse amatosque carminibus celebrasse dicitur Anacreon, Bathylli solius mentio fit 17 (γ′), 15. 12 (ϑ′), 29 (ις′) v. 1, 9 (ιδ′), 7, 21 (ιϱ′), 10. Cybebes autem quidam 54 (να′) commemoratur, quem quoties poeta juvenum choreis se miscentem viderit, juvenili vigore impletur.

Saepe quidem respiciuntur in universum pueri amabiles cf. 18 (δ′), 10: *κούρους εὐπρεπεῖς·* 8 (λέ), 7: *ἁπαλώτεροι Λυαίου.* 41 (λς′), 12: *ἁπαλοὶ παῖδες.* 42 (μ′), 4: *ἐφήβου μετὰ συμπότου.* 6 (μα′), 8: *ἁβροχαίτας κοῦρος.* 39 (μη′), 24: *θιάσῳ-κούρων.* Puellae nomen nunquam nobis obvenit neque omnino certa quaedam significatur nisi 28 (με′), ubi poeta *τὴν ἐμὴν ἑταίρην* pingi jubet, 13 (μα′), 11: *κορεσθεὶς καὶ τῆς ἐμῆς ἑταίρης,* 20 (κβ′), 11: *γύναι* in cujus vestem, sandala, alia mutetur optat poeta, 34 (μϑ′) ubi Lesbia illa fr. 15 intelligenda videtur. In universum *αἱ γυναῖκες* 11 (ς′) afferuntur, quod senectutem poetae opprobrio faciant; *γυναῖκας* ut coronis vinoque flagrantem poetae animum refrigerent adhortatur; quot amoribus per totum terrarum orbem teneatur, jocando enumerat 32 (η′); mulieribus quid natura ad defendendas se dederit, proponitur *κδ′* (2); *μετὰ παρθένων ἀθύρειν* somniatur se poeta 8 (λέ) et 42 (μ′). *παίξειν — μετὰ καὶ καλῶν γυναικῶν* ei in animo est 41 (λς′), 23 aut III fr. (λϑ′) *ἁπαλὴν παῖδα κατέχειν; νεοθηλέσιν ἅμα κούραις-χορεύειν* delectat poetam; *κούρα χλιδανόσφυρος* thyrsum ferens ad barbiti sonum ante eum saltat 6 (μα′); quin ipse *μετὰ κούρης βαθυκόλπου* saltaturus est 5 (μβ′); *κούρην* amplexus Cyprin decantat 39 (μη′). Cum ex paucis illis, quos adamavit Anacreon, pueris et puellis innumerabilem paene amicarum atque ministrorum bibendi multitudinem factam esse, cum fervido amoris calore commutatam festivam quandam atque petulantem lasciviam videamus quae ab omni animi motu aliena nihil spectat nisi ut levissimae cupiditati satisfaciat, quid mirere, si Amoris illius juvenis cf. fr. XI. loco, qui in summis montium cacuminibus versatur, cf. fr. II, cui omnes parent dii hominesque fr. LXIV, qui marcescere facit hominum animos fr. CV, cujus tali sunt rabies atque clamores bellicosi, qui securi concutit animum aut purpurea pila ad lusum invitat, hujus igitur Amoris loco conspicimus pusillum illum (*βρέφος*) imbre madidum, portam pulsantem cf. 3 (λα′) aut apiculae aculeo laesum atque dolore conclamantem 40 (λγ′) aut a Musis captum Pulcritudinique traditum cf. 30 (ω′) aut plumbo pulcros pediculos impeditum 44 (αη′) aut alis mollibus afflantem 7 (κϑ′), quin totum nidum Amoribus repletum, quorum alius alium nutrit 33 (κε′)? Ne pugnator ille quidem Amor,

qualis fingitur 14 (β') nos potentiam Dei revereri facit, statim enim poetam deum quasi ludibrium sibi finxisse apparet. Num in plurimis his locis vel ullum poetae ipsius vestigium inest, num amore perculsum animum produnt, qui nihil aliud cogitat, nihil sentit nisi amorem? Omnia ita comparata sunt, ut omnibus temporibus, omnibus locis, omnibus animis, qui nihil curant nisi ut delectentur voluptatibus consentanea sint, modo Graecorum festivas commissationes, quibus amicae intererant, recordemur. Atque rectissime ἐρωτικά illa carmina, quae reperiuntur inter Anacreontea, συμποσιακῶν titulo continentur quippe quae a certi cujusdam poetae ingenio plane aliena communi sodalium festivitati inserviant; contra ἐρωτικά illa fragmenta ad poetam unum pertinent a convivalibusque sunt plane disjungenda carminibus. —

In Paroeniis quidem difficile, propriam Anacreontis poeticam rationem, quibus in rebus fragmenta ab Anacreonteis differant discreveris, cum argumentum fere in sodalibus excitandis, vino ejusque cultore Baccho laudando versetur; nihilominus num vestigia quaedam etsi obscura appareant videamus. Ad initium commissationis spectant fr. XL. LXI. LXII, quibus puer aquam, vinum, coronas apportare jubetur; in secundo statim agnoscimus poetam ab immoderata cupiditate atque lascivia abhorrentem, nam ne Scythicum clamorem tollant, monet, potius pulcros hymnos inter bibendum canendos esse dicit. Nonne eundem se prodit atque fr. CXXXV, ubi justitiam in amore servatam pulcrum quid esse profitetur? — Atque vel in optando modum ne excedat veretur, quare non cornu Amaltheum, non Arganthonii aetatem regnumque Tartissium expetit fr. VIII. Procul dubio ad commissationem instituendam excitat poeta, cum hiemem irruentem describat fr. VII. Jam celebratur Bacchus ἐρίβρομος fr. XIV aut κωμάζων fr. XIII; jam cottabus instituitur fr. LII; Marti relinquuntur bella fr. LXXIV; poculum propinat Herxioni poeta. Cur non evoles pectore uncto fr. IX, interrogaris. Absint omnes, quorum animi tristes sunt atque difficiles reconciliatu fr. LXXVIII. At senis potantis imago nobis fere in animis versatur, cum de Anacreonte audiamus. Nullane in fragmentis senectutis mentio fit? Sane senem se prodit poeta fr. LXI. LXXX. XV. XXIII.; mortis quoque meminit sed horrore affectus ejulatur cum Tartarum adspiciat, e qua redire non liceat fr. LXI., non alium esse censet laborum finem nisi mors absit fr. XLVIII. — Multo majorem varietatem invenies in Anacreonteis majoremque artem, quae a simplicitate Anacreontis saepe abhorreat. Duo autem genera paroeniorum sunt distinguenda, quorum alterum in describendis commissationibus iisque rebus quae huc pertinent versatur, altero ad bibendum animi excitantur. Priori generi sunt annumeranda illa carmina, in quibus Bacchus descendens ad hominum commissationes 41 (λς'), 27 (μζ'), 26 (μς'), 51 (νε') 6 (γα') celebratur aut vindemia describitur 52 (νη') aut rosa cum commissatione conjunctissima praedicatur 5 (μβ'), 53 (νγ') aut senex ebrius cum Sileno comparatur 38 (με'), aut poculum, quomodo ab artifice caelari

velit poeta, enarratur 17 (γ'), 18 (δ'). Alterum genus latius etiam patet: caussae afferuntur saepe quaesitae cur potare liceat; quo jure furebant Alcmaeon, Hercules, Orestes, eodem poetae furere licebit 31 (η') 13 (ια'); cum in rerum natura omnia bibant, a bibendo non retinendus est poeta 19 (κα'); calore amoris, non alia ratione mitigari potest nisi bibendo, Non invidetur tyrannis, non aurum expetitur, quia morte tyrannis et aurum auferuntur; cras quid fiat latet, ergo hodiernus dies curandus est 41 (λς'), 24 (λη'), 23 (λδ'). Inutiles sunt curae, quae mortuis habentur, quippe qui nihil sentiant; ad vivos deferendae coronae atque unguenta 4 (λ') 25 (μγ'). 36 (ν'). Nonne haec sentiendi ratio plane abhorret ab illa, quam in fragmentis invenimus? illic enim mortis metus in senis animo semper versatur eumque ad ejulandum excitat, hic mors plane non curatur, quin mortis memoria ad summam hilaritatem animos excitat. Facile senties illa verba ex intimo senescentis poetae pectore profecta esse, haec inter commissationes ex ore juvenum temulento excidisse. Singula carmina perscrutantes quid quaesiti insit, quae certa serioris aetatis vestigia appareant, videbimus.

§. 3.

Qua dialecto usus sit Anacreon, quae sit dialecti ratio in Anacreonteis.

Anacreontem Ionica dialecto scripsisse jam ex eo verisimile est, quod in Ionica urbe Tei natus in Ionicis urbibus Sami, Athenis, Abderae per totam fere vitam commoratus est. Neque desunt luculentissima veterum testimonia; dicitur enim ap. Antip. Sidon. Anth. Pal. VII, 27. *ἐὺχος Ἰώνων.* Chrysost. Or. II. p. 31. 94: *ὁ Ἰώνων ποιητὴς Ἀνακρέων.* Polluc. Onom. III, 98. *Ἀνακρέων — Ἴων καὶ ποιητὴς ἀνήρ.* Grammat. Leyd. ap. Greg. Cor. ed. Schaef. p. 629. *κέχρηται δὲ αὐτῇ Ἰάδι διαλέκτῳ — καὶ Ἀνακρέων.* Max. Tyr. XXXI. p. 218 ed. min.: *καὶ Ἀνακρέων — κεράσας τῇ τυραννίδι — καὶ ᾠδὴν Ἰωνικήν.* Ubi formae quaedam Ionicae proferuntur, saepe Anacreon testis affertur cf. Gregor. Cor. p. 397. Athen. XI, 229. Quin quod Samiis proprium erat, ut *εο* in *ευ* contraherent, id apud Anacreontem reperitur cf. Etymol. M. p. 259. 28. Bergk. An. p. 64. fr. II, 11. — Sed haec omnia in universum dicta certam quamdam regulam in dijudicandis Anacreonteis non praebent; ad fragmenta ipsa redeundum est eaque quam diligentissime perscrutanda. Magnis enim tenebris dialectorum doctrina adhuc involuta est neque alia in re facilius erraveris aut nimia regularum quarundam semel propositarum religione aut vel nimis negligenti dialectorum confusione. Maxima enim in istis scriptoribus, qui Ionica dialecto utebantur, varietas est, quae aut ex dialecti specie aut ex aetate, qua scribebant aut ex scribendi genere proficiscitur. Iones enim non eadem plane dialecto uti sed in quatuor maxime partes pro

dialecti ratione disjungi, quarum alia urbes in Caria terra sitae, alia Lydiae urbes inter easque Teos contineantur, alia pertineat ad Chios et Erythraeos, alia ad Samios nobis auctor est Herodotus I, 142. Anacreontis igitur si originem spectamus, Lydia Ionicae dialecti species, si eam urbem, qua diu commorabatur, Samia ei vindicanda sit. At non omnibus temporibus eadem plane mansit Ionica dialectus; quantum distat ab Homerica dialecto Herodotea et Hippocratea? Lingua ipsa ut firmissimum nobis populi ingenii atque morum testimonium praebet, ita quin cum moribus mutetur fieri non potest. Prorsus autem Ionum mores mutatos esse ex Athenaeo XIV, 625 apparet, qui veteres Iones *ἐπὶ ταῖς τῶν σωμάτων ἐνεξίαις βρενθυομένους καὶ θυμοῦ πλήρεις, δυσκαταλλάκτους, φιλονείκους οὐδὲν φιλάνθρωπον οὐδὲ ἱλαρὸν ἐμφανίζοντας* opponit posteriorum *ἤθεσι τρυφερωτέροις.*

Anacreon autem et ab Herodoti aetate seculo fere distabat et ab Homericis poetis longissime aberat, in ea quidem aetate versatus, qua Ionicae urbes quanquam a tyrannis subjectae erant maxime efflouerunt sensimque ex antiqua morum severitate in luxuriam atque levitatem inciderunt. Non minoris autem momenti est quod tertio loco posui in dialectica scriptorum ratione dijudicanda: ante omnia qui pedestri oratione scribunt disjungendi sunt a poetis; tum inter poetas ipsos non eadem quadrant epicis atque lyricis. Quare Anacreon potissimum cum Ionicis lyricis, Archilocho, Simonide Amorgino, Ananio, Hipponacte comparandus indeque dialecti ratio cognoscenda. Optime quidem Bergkius V. Cl. Anacr. p. 64 de dialecticis formis, quae reperiuntur in fragmentis, disseruit, ut supersedere disserendi operae posse videar, modo illuc lectores relegem; tamen et ipse in Censura Schneidew. Additam. ad Lyr. Graeos cens. cf. Diar. Litterar. antiqu. III, 2, n. 24, p. 185 squ. multa atque nova de verbis contractis addidit, quae in unum cum illis prius disputatis conjungenda sunt, et mihi non tam id spectandum est, quae vere Ionicae formae in Anacreonte reperiantur, quam quid licuerit Anacreonti in adhibendis formis, quae aut ad communem Graecae linguae usum aut ad Doricam dialectum pertineant, unde nobis maximum ad Anacreontea dijudicanda auxilium repetatur.

Si vocabulorum stirpem spectamus, tribus rationibus dialecto mutatur ut aut littera mutetur aut addatur aut dematur. Ex consonantibus maxime aspiratarum ratio habenda, quippe quae ab Ionibus evitari soleant. *Π* cum *φ* commutatum est in vocabulo *ἐπίστιον* XC, 4, *κ* cum *χ* in fr. LXXVIII: *μοκλόν* sed II, 11: *δέχεσθαι* invenitur; fr. LVIII. *χιτῶνα. Ταργήλιος* quidem ionice dictum pro *Θαργήλιος* fr. XXXVIII, sed in LXXXVII: *καθεύδει* spiritus asper suam vim exercet. Ex Ionum more in adverbiis maxime *κ* cum *π* commutatur cf. fr. XIX: *κω.* LXII, 2: *ὅκως* neque tamen *ποτέ* repudiavit Anacreon fr. LXXXVI.

Pro tribus maxime vocalibus ab Ionibus pleniores poni solent: pro $\bar{\alpha}$ *η*, *ο ου*, *ε ει*, neque desunt exempla in Anacreonte fr. LXIX: *κρητῆρι*. LXXX: *κούρα*. LXXXV, 2: *μοῦνον*. XIX, 9: *δουρί*. LXXIII: *κοῦραι* XLII: *εἵνεκα* (huc pertinent *ἕνεικον* pro *ἔνεγκον* positum); in eodem autem locum habent *ξένοι*, non *ξεῖνοι* LVI, LXXXV, *πλέῳ* non *πλείῳ* LXIX. Epica plane forma utitur Anacreon pro *ὅτε εὖτε* cf. fr. LXXXI. Quod autem Herodoto maxime proprium est diphthongum *αυ* in pronominibus dilatare in *ων*, hujus rei apud Anacreontem vestigium non invenitur, *ἐμαυτὸν* dicitur LXIII, non *ἐμεωυτόν*. Diaeresim illam epicam adhibitam reperimus in XIX, 13: *παΐς* XVI, 3. *παϊδί*, quamquam vel saepius communi forma utitur poeta: XXXII, 2: *παῖς* LXXI: *παιδός*. Ep. VII, 1: *παιδί*. XCVI: *παῖδα*, saepissime *παΐ*. Quae propria est Ionibus contrahendi ratio, ut ex *ιο* aut *οε* efficiatur *ευ*, ex *εα η*, ex *ιε* $\bar{\iota}$, ab ea Anacreon non abstinuit. cf. fr. II, 11. XIV, 2: *Δεύννσε* (*Διόννσος* LIII. LIV), XLIII: *χαριτεῦν*, LXI, 2: *ἀνθεμιεῦντα*, LI, 2: *ἰρόν*, CXVIII *ἰρωστί*, XV, 3: *νήνι*. Recte pro *ἑορτήν* ionicam formam *ὁρτήν* fr. LIII restituit Hermannus; neque *ἐκεῖνος* firmatur nisi epigrammatis loco V, 1, *κεῖνος* autem fr. LXXXIV dictum. Vocabuli littera ex ionica dialecto aucti exemplo est *σκύπφον* XCIV, 1 pro *σκύφον*.

In primae declinationis formis fere ubique *η* pro $\bar{\alpha}$ positum est praecedentibus vocali *ι* aut littera *ρ* in nominativo. cf. LXX: *λύρη* LXXIX, 1: *Θρῃκίη*, XLI: *κάρη*, sed *κούρα* LXXX; in genitivo XIV, 1: *Ἀμαλθίης* XVII, 2: *πέτρης* LXXI: *Θρῃκίης*; in dativo XV, 1: *σφαίρῃ*, XVI, 3: *ἁβρῇ*, XL: *καθαρῇ*, XLV, 2: *χειμερίῃ, χαράδρῃ*, XC, 3: *Γαστροδώρῃ*;

in accusativo: V, 1: *Λυδίην*, XVIII, 1: *ἐρασμίην*, XLVII: *Θρῃκίην*, LXXIX, 6: *ἱπποσείρην*;

in vocativo: VI, 1: *Σμερδίη*, XXV: *καλλιλαμπέτη*, LXXIX: *Θρῃκίη*. In genitivo pluralis solutam formam *εων*, quae una syllaba pronunciatur, semper invenies cf. fr. LI, 2: *Νυμφέων*. LXIX, 3: *Μουσέων* praeter unum locum quo libri praebent *Σκυθῶν* CXXXII. Eadem est ratio genitivi singularis *Ἀΐδεω* XLI, 5 cf. Hippon. 9: *Ἀττάλεω*. *Γύγεω*. 60: *δεσπότεω*.

Dativi pluralis vel omnes reperiuntur apud Anacreontem formae: *αις* cf. XXII: *κούραις*. LXIV: *μίτραις*. LXXXI: *μελαίναις*; *αισιν* V, 2: *χορδαῖσιν*; *ῃς* XIX, 5: *δίνῃς*. XLIX: *ὕλῃς*; *ῃσι* XIX, 5: *πλευρῇσι*. LXXXVIII, *θύρῃσι διξῇσιν*.

Inter secundae declinationis formas nihil nisi genitivus singularis et dativus pluralis respiciendus est. Unum tantum exstat exemplum epicae formae *οιο* in XCI, 1: *ὀχανοῖο*, dum in septendecim locis genitivi in *ου* desinunt. At in dativo pluralis uni exemplo fr. LVI: *ξένοις* obstant quatuor XIX, 7: *πόρνοισιν*. LXXXV: *ξένοισι*. XCII, 2: *πολλοῖσι*. CIII: *μηροῖσι*. In tertiae declinationis genitivo vere ionicam illam *ιος* formam non invenies,

sed *εως* cf. LXXVI: *πόλεως*, bis autem *εος* usurpatum est LXX: *Θησέος*. XCI, 1: *Καριενργέος*.

Accusativi forma *εα* et soluta obvenit XXXIX, 2: *μελιηδέα*. XLIX, 1: *νεοθηλέα*, et contracta: *αἰνοπαθῆ* XXXIII. Ionum more ex *χαριτόεν* XLIII: *χαριτεῦν* factum est. Si pluralem respicimus, et CXXXVI: *κατηρεφέες* et C: *Ανδοπαθεῖς* ad Anacreontem pertinent; sed inter nomina neutrius generis nihil nisi solutae formae reperiuntur: VIII, 2: *ἔτεα* IX, 3: *στήθεα*. LXIX, 2: *νείκεα*. In dativo utraque forma et attica et epica servanda est cf. XXXVII: *στήθεσι*. XXII, 1: *πτερύγεσσι*.

Si pronomina respicimus, in quatuor tantum formis ionica dialectus apparet: *μεῦ* LXXX (*μοῦ* aut *ἐμοῦ* non exstat), *τοί* XLIII. LXXIX (*σοί* non invenitur), *ἥμιν* LXII, 1. LXI, 2. *τῷ* pro *ᾧ* LXXXIV.

Ad verbales formas transgredientibus unum nobis omissi augmenti exemplum occurrit XXVI: *ῥῖψ'*, cum quatuordecim loci id praebeant XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXVII. XLV. XLVI. XLIX. LVII. LX. LXXIII. LXXXIV. XCIV. XCV. Duplex augmentum reperitur in CXVI: *ἐξυνῆκεν*, duplex reduplicatio in LXXVIII, 3: *μεμεθείκασι*. In secunda singularis numeri medii persona illud *εαι* non contrahitur cf. fr. II, 4: *ἐπιστρέφεαι*. IX, 1: *πέτεαι* (*πέταμαι* non obvenit, quod ex Heindorfii sententia posterioris aevi est cf. Lobeck Phryn. p. 581, quod enim fr. XXIII legitur *παραπέταται*, nihil nisi mera conjectura pro *παραπετέσθω* est) LXXIX, 5: *βόσκεαι*. Maximi momenti sunt verba pura, in quibus aut contrahendis aut solvendis ex praeoccupata dialecti opinione summa licentia grassati sunt editores atque grammatici. Codicum auctoritatem sequenti multo minus arctis finibus circumscriptos fuisse qui vel una dialecto utebantur, apparebit quidem, sed tum demum certum quoddam judicium de carminibus propter dialecti rationem abjudicandis ferre licebit. Jam secundum ea, quae Bergkius in Cens. Schneidew. l. l. comparatis omnium ionicorum lyricorum reliquiis disputavit, singula verborum purorum genera sunt pertractanda (ubi solutae formae mentio non fit, nulla reperitur):

ex *αε* contractione fit *α* cf. LXVII: *μνᾶται*, fr. I: *ἐγκαθόρα*.
ex *αει ᾳ* cf. fr. V, 3: *ἠβᾷς*. XXII, 2. XLIII, 2: *συνηβᾶν*.
ex *αο ω* fr. LVII: *διψῶντα*.
ex *αου ω* fr. LXXIX, 5: *σκιρτῶσα*.
ex *αω ω* fr. LXII: *μελετῶμεν*. III, 1: *ἐρῶ*. LXXXIX; *ἐρῶ*.
ex *εε ει* fr. XV, 4: *καλεῖται*. XVIII, 3: *ὀρχεῖται*. XXIX, 1: *ὠνοχόει*. XVII, 2: *κολυμβῶ*. XL: *ἀναχείσθων*. XXXVIII: *δισκεῖν*.
ex *εο ευ* fr. XXXVI: *φορεῦμαι*, sed fr. I, 4: *ἴκον*. II, 9: *γενοῦ* inveniuntur, quae num cum Bergkio mutanda sint dubito, cum apud Hippon. fr. 71 exstat quoque *ἴκον*.

ex εου ου fr. VII, 4: παταγοῦσιν (nisi potius cum Schol. Hom. Il. 15, 192 κατάγουσιν legendum est).
ex εοι οι fr. XLII: φιλοῖεν.
ex οο ου fr. I: γουνοῦμαι.
ex οε ου fr. XXXIX, 2: στεφανοῦται.
ex οη ω fr. X: νενωμένος.

Semper autem solutas apud Anacreontem invenies eas formas quae exeunt et in ε ω cf. III, 3: διοσκέω. XIX, 7: ὁμιλέων. XIX, 12: σατινέων. φορέων. LXIX, 1: φιλέω. LXXIV: φιλέω. LXXVIII: μισέω et in ε ει XIX: φορέει et LXXIX: δοκέεις. — Jam vides quam paucae inveniantur formae solutae, quibus vel maxime studuisse dicuntur Iones, modo cum contractis compares. Tmesis exempla satis multa sunt XLVIII: ἀπὸ — γένοιτο. LXII: ἀνὰ — βασσαρήσω. XCVIII: καδδὲ — ἐσχίσθη. LVII: ἀπὸ δ' ἐξείλετο. Aliis in locis per crasin verba ita conjungit Anacreon ut antecedens ω sequentem vocalem α tollat cf. fr. II, 1: ὦναξ. CXXV: τὠκινάκη; antecedens diphthongus αι plane tollatur, brevisque quae sequitur vocalis, fiat longa, diphthongus non mutetur cf. LXII, 8: κἀλαλητῷ. LXXXIX, 1: κοὐκ. 2: κοὐ; in aliis autem duae hae vocales per synecphonesin solum in unam conjunguntur cf. XIX, 7: καὶ ἐθελοπόρνοισιν (ubi si crasim in scribendo significare volumus, non cum Elmslejo κἠ sed κἀ scribendum est cf. Bergk. Cens. Schneidew. l. l. p. 179. Annotat.) VIII, 3: καὶ ἑκατόν. XVI, 3: παϊδὶ ἁβρῇ. —

At vel doricae dialecti vestigia invenies in fragmentis, quae omnia quidem aut scriptorum, qui locos citant, aut librariorum incuriae tribui non possunt. Quatuor loci apud Hephaestionem inveniuntur, unus in Etym. M. qui propter illud ipsum vocabulum eum citat, unus apud Schol. Soph. Ant. v. 138. Tribus autem in locis argumenti vi atque gravitate adductus videtur Anacreon ut α pro η uteretur fr. XXVIII: δακρυοέσσαν τ' ἐφίλησεν αἰχμιάν. LXXIV: ὀρσόλοπος μὲν Ἄρης φιλέει μεναίχμαν. LXXXII: ἐν μελαμφύλλῳ δάφνᾳ χλωρᾷ τ' ἐλαίᾳ τανταλίζει; ad hymni gravitatem accedit illud fragmentum, ubi κούρα dictum est fr. LXXX: κλῦθί μει γέροντος — κούρα Id quidem statuendum est, rarissime tantum neque nisi cogente quodammodo sententiarum natura ad doricam dialectum immutasse vocabulorum vocales Anacreontem, nunquam permiscue dorica et ionica dialecto usum fuisse. —

His disputatis ad Anacreontea transeamus, in quibus singulas formas investigare cum iisque, quae in fragmentis exstant, comparare hujus loci non est, sed ad alteram partem dissertationis pertinet; non enim universam dicendi imaginem tibi proponam eorum carminum, quae diversissimis temporibus a diversis poetis composita non alio vinculo continentur nisi argumenti similitudine. Nihilominus et universa quaedam de horum carminum dialecto praemittere et genera quaedam, in quae secundum dialecti rationem

distribuenda videntur carmina, statuere licebit. Magna autem apparet in plurimis carminibus dialectorum confusio: Doricae formae intermixtae usurpantur ionicis sine ulla argumenti caussa; plane atticae formae, quin quae nisi seriore aetate non locis comprobantur, ad epicas formas apponuntur. Jam priore aetate hanc confusionem dialectorum offensioni fuisse constat; quanquam aut nisi manifesto sibi repugnantia non notabantur aut in quacunque forma, quae vel aliquantulum a propositis ionicae dialecti regulis recessit, serioris aetatis vestigia autumabant viri docti; quare in diversas partes abierunt ii qui vindicare carmina Anacreonti pertinacissime studuerunt. Alii, quorum princeps Barnesius, constantiae laudem assecuti quidem, quae repugnare videbantur ionicae dialecti regulis sustulerunt, alii hanc dialectorum confusionem summis laudibus efferebant, fere ubique ratiunculam excogitarunt, qua cur Dorice aut Jonice locutus sit poeta, comprobaretur. Non facile plus ineptiarum, quod ad dialectos attinet, alio loco congestum invenies quam in Baxteri annotationibus, quibus Fischerus in prima editione omnino assensit cf. Fischer ed. I, p. 5. p. 30. 39. 66. Non meliora istis viris doctis opponam quam quae a Graefio in Praef. Meleag. Ep. p. 5 dicta sunt: „quidquid enim clament quidam parum idonei harum rerum judices „ad defendendam illam dialectorum confusionem, quae ubique tam foede „grassatur, nunquam demonstrari putent homini paullo cordatiori poetam „nisi pessimum in uno carmine, uno tenore recitando nunc pure doricas „nunc ionicas formas ut quaeque in buccam venerint sine omni dialecto conjun„gere potuisse. Cur demum antiqui, qui aequabilitatem in omnibus tanto„pere amarunt, hic tam turpiter omnes ejus leges migrasse censendi sint? „Qui in his ad aurium judicium provocant quasi quaedam formae contra „vulgarem dialectum suavius accidissent, sibimet ipsi repugnare videntur, „non reputantes in commixtione rerum diversarum et a se alienarum suavi„tatem inesse non posse. — Atque haec dialectorum confusio ibi potissi„mum ingrata est, ubi breviora carmina, quibus summa concinnitas merito „debetur, discrepantia sua occupavit.“ — Tres potissimum caussas hujus dialectorum confusionis statueris, quarum prima in poetarum serioris aetatis more, secunda in ea ratione, qua haec carmina propagata sint inter homines, tertia in librariorum incuria insit. Optime Jacobsius Praef. ad Anthol. Pal. p. XL. p. XLII demonstravit, quomodo „postquam unumquodque „genus poeseos patriae, ubi natum et educatum fuerat, finibus egressum „peregrinari et cum exteris populis communicari coepit, cum dialecti non „jam in ore hominum vigerent sed in putridis chartis delitescerent, usu „venire coeperit ut iidem homines diversis in scribendo dialectis uterentur, „poetae adsuescerent dialecto ionicae doricis passim formis modeste immixtis „majorem conciliare sonum.“ Quam secundo loco posui caussam, ea latissime patet; carmina enim, quae per longum tempus populi ore circum-

ferebantur, canendo propagabantur ut infra videbimus, iis quin et temporum et regionum et hominum vestigia imprimerentur fieri non poterat; ut plures strophae omittebantur et mutabantur, ita multo facilius singulorum vocabulorum formae a genuina dialecto degeneraverunt. Neque librarii ab omni culpa liberandi sunt, cum ubi idem epigramma bis in membranis Anthologiae, cujus fatis Anacreontea conjunctissima sunt, exhibetur, raro eadem in utroque loco circa dialectos obtineat ratio. Si carmina ipsa spectamus, quatuor genera in universum statuenda videntur secundum dialectorum rationem: in primo ea ponenda sunt, quae aut Jonica plane dialecto scripta sunt aut non alias admittunt formas atticas quam quae et ipsae in fragmentis reperiuntur; sunt autem haec 4 (λ). 5 (μβ′). 7 (κϑ′). 8 (λέ). 9 (ιδ′). 10 (*l*, ubi doricae quidem formae reperiuntur sed a Doriensi puero prolatae). 11 (ϛ′). 12 (ϑ′). 13 (ιά). 14 (ιβ′). 15 (ζ′). 16 (κϛ′). 17 (γ′), si v. 3 *παυοπλίας* cum veterrimis Gellii editionibus legimus. 19 (κύ). 20 (κβ′). 21 (ιζ′). 24 (λή). 25(μγ′). 26 (μϛ′). 29 (ιϛ′). 30 (ιδ′). 31 (ή). 32 (ιγ′). 33 (κέ). 35 (νβ′). 38 (μέ). 39 (μή). 40 (λγ′). 43 (λβ′). 46 (κζ′ +). 47 (λζ′). 48 (νέ). 50 (νή). 53 (κϛ′ +). Secundo loco ponenda sunt ea carmina, in quibus formae plane atticae occurrunt in fragmentis non repertae, quin quae nonnisi seriore aetate in usum venerunt: 1 (κγ′). 2 (κδ′). 3 (λά). 18 (ιε′). 28 (ιέ). 36 (μδ′). 37 (μέ). 42 (μ′). 44 (κή). 45 (κζ′). 51 (νγ′). Ad tertium genus pertinent ea carmina in quibus doricae formae promiscue cum ionicis usurpantur: 6 (μά) 23 (λδ′). 34 (μϑ′), 41 (λϛ′). 49 (νϛ′). 54 (νά). II ap. Fisch. inter fragmenta relatum (νζ′). Restat igitur unum odarium 27 (μζ′), quod cum plane dorica dialecto scriptum sit, quartum carminum genus efficit. In universum quidem confitendum est multis in carminibus hanc de dialecto disquisitionem ad liquidum perduci non posse, cum et libri scripti dissentiant et fragmenta genuina pauciora brevioraque sint quam ut praefracte hanc formam Anacreontis esse negaveris; nihilominus loquendi usu, qualis reperitur in fragmentis, pro fundamento utendum est, quo critica Anacreonteorum disquisitio nitatur.

§. 4.

Quae syntactica Anacreontis fragmentorum Anacreonteorumque carminum ratio fuerit.

Quanquam in enunciationibus conformandis conjungendisque, in particularum usu scriptoris ingenium maxime apparet indeque eo firmiora argumenta in arte critica petuntur, quo minus arte atque consilio, sed interno quodam quamvis obscuro sensu scriptores egisse existimandi sunt, tamen ad nostram quaestionem non admodum confert, cum et ex fragmentorum brevitate non multum elici possit neque argumenti levitati respondeat, nisi

levis quaedam, non admodum elaborata enunciationum conjunctio. Enunciationes plerumque aut per *δὲ* conjunguntur cf. II, 7. 9. 10. IV, 2. V, 1. 3. etc., cujus loco fr. VII. *ἴδὲ* ionicum invenitur; neque desunt exempla ubi particula *τε* annectuntur fr. XXIV. XXVIII. aut per *μὲν δὲ*, *δὲ* altera alteri opponitur fr. III, 1. 2. 3. VII, 1. 2. XV, 6. 8. XVI, 1. 2. XIX, 3. 12. 9. 10. XLI, 1. 2. 3. XLII, 2. LXII, 3. 4. LXXIV, 1. LXXVI. LXXIX, 3. 4. XCV, 2. Magnopere adamat autem poeta enunciationes confirmativas, maxime quae per *γὰρ* inducuntur, interponere mediis enunciationibus, verbo finito interdum omisso cf. XXXIX: *ὁ Μεγίστης-δέκα δὴ μῆνες ἐπείτε στεφανοῦται.* XV, 6. squ: *ἦ δ' ἐστὶν γὰρ ἀπὸ — Λέσβου, τὴν κόμην λεύκη γὰρ κατα-μέμφετάι.* LVI: *φίλη γὰρ εἶ ξένοις· ἔασον δέ με-πιεῖν*; verbum finitum omissum quoque LXIV, 5. LXXV. Ad novam sententiam inducendam, maxime ad animos excitandos *ἀλλὰ* adhibetur, non praeunte oppositione cf. VI. LXV. Unum tantum exstat exemplum enunciationis secundariae (protasis) in eaque temporis significatio inest LXXXI: *εὖτε — ἀναμεμίξονται τρίχες.* In comparatione instituenda et particula *ὥστε* utitur poeta cf. XLV, XC, quae quidem epicis maxime, nihilominus interdum apud Atticos ita usurpatur cf. Lobeck ad Phryn. p. 426. et particulis *οἷα τε* plane homericis XLIX. Asyndetorum exempla non plane desunt, maxime in exhortationibus fr. I: *γουνοῦμαί σε — ἤκου — ἐσκαθόρα.* LXI. LXXIX.

Anacreontea carmina perscrutantem quin summa illa asyndetorum multitudo offendat fieri non potest cf. od. 1 (*κγ'*), 5. 10. 2 (*κδ'*) 3. 5. 7. 8. 3 (*λά*), 8. 9. 14. 21. 4 (*λ'*), 11. 16. 5 (*μβ'*), 3. 6. 12. 13; sed quid enumerem asyndeta cum haec tantum exstent carmina, ubi nulla inveniuntur 7 (*κδ'*). 8 (*λε*). 13 (*ιά*). 35 (*νβ'*). 50 (*νή*)? Ex altera quidem parte quaesiti quid in his asyndetis inest, ita ut poetae ad simplicitatem orationis augendam omnem sententiarum nexum consulto abjecisse videantur; ex altera autem negari non potest in hac ipsa particularum inopia linguae longo usu attritae vestigia apparere. Levis illa enunciationum conjunctio, quae per particulas *δὲ*, *τε*, *γὰρ* fit, in Anacreonteis quoque usitatissima est. Neque absunt exempla, ubi verbum finitum in enunciationibus particula *γὰρ* inductis desideratur cf. 26 (*μς'*), 10: *μεθύοντα γὰρ — κρεῖσσον ἢ θανόντα,* 39 (*μή*) in fine: *τὸ θανεῖν γὰρ μετὰ πάντα,* 51 (*νγ'*) *τόδε γὰρ θεῶν ἄημα τόδε καὶ βροτῶν χάρημα,* quod nihil est nisi imitatio genûini fragmenti fr. LXIV, 1. 5. *ὅδε γὰρ θεῶν δυνάστης ὅδε καί βρότους δαμιάζει.* Saepe autem *γὰρ* in interrogationibus ponitur: *τί γὰρ, τίς γὰρ* 9 (*ιδ'*), 21. 14 (*ιβ'*), 19. 17 (*γ'*), 4. 41 (*λς'*), 17. 11 (*νζ'*), 5. Enunciationes secundariae saepius occurrunt non cum particula ionica *ἔὖτε* conjunctae, sed ex *ὅτε*, cui *τότε* respondere solet, pendentes cf. 3 (*λά*), 2. 39 (*μή*), 1. 4. 8. 12. 16. 20. 24. 43 (*λβ'*), 2. 51 (*νγ'*), 30. 50 (*νά*), 1. aut ex *ὅταν* 25 (*λϑ'*), 1. (26 *μς'*), 1. 27 (*μζ'*), 3. 42 (*μ'*). 3. 47 (*λζ'*), 3. 48 (*νέ*), 10. 50 (*νή*), 11. 2 (*νζ'*).

Quater in enunciatione hypothetica εἰ cum indicativo praesentis temporis ponitur sequente indicativo in apodosi 32 (ιγ'), 1. 3. 40 (λγ'), 13. 23 (λδ'), 10. Semel invenies εἰ cum imperfecto conjunctum, quod excipit imperfectum sine particula ἄν 23 (λδ'), 6. — Inter dicendi formas, quae propriae maxime toti linguae aut aetati cuidam dicuntur, animadvertas quaeso ad eam, quae dicitur ἀπὸ κοινοῦ neque in usum venit nisi Alexandrinorum poetarum tempore, unde Romani elegiaci maximo studio sibi arrogabant cf. Herm. ad Vig. p. 852. cf. Tib. El. I, 2, 40. 3, 56. 4, 2. 5, 34. 6, 81. 8, 2. II, 6, 23., etsi primus Pindarus altero hujus formae genere, quo verba in sequenti enunciatione ponuntur ad priorem quoque referenda, usus est Ol. VI, 42. Pyth. XI, 64. Utriusque generis exstant in Anacreonteis exempla; verbum transpositum 2 (κδ'), 1. 2. *φύσις κέρατα ταύροις ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις*; praepositiones transpositae 9 (ιδ'), 22: *ὄρη τε καὶ κατ' ἀγρούς*; 33 (κε), 5: *ἢ Νεῖλον ἢ 'πὶ Μέμφιν*. — Ex his omnibus apparebit sine fructu ne syntacticam quidem genuinorum fragmentorum quamvis brevium Anacreonteorumque rationem comparari.

§. 5.

Quibus metris usus sit Anacreon quaeque reperiantur in Anacreontes.

Cum in universum Graecorum poesis admirabili illa metrorum varietate atque pulcritudine omnes qui unquam fuere populos facile vincat tum id maxime de lyrica poesi, quippe quae semper artissimis vinculis cum musica arte conjungatur, praedicandum est. Non facile inter veteres illos lyricos dicendus sit aliquis, cujus nomine non unum alterumve metrum ab eo inventum inscriptum sit; tanta enim erat rerum ipsarum formaeque conjunctio, ut quae ipse poeta pro sua ingenii indole sensisset, iis non aliud metrum respondere videretur, nisi quod ex poetae ingenio profectum esset; tanta autem linguae ipsius facilitas atque copia, ut non novis metris arte quadam atque consilio vincta sed cum iis ipsis nata videretur. Id ipsum in Anacreontem cadere et fragmenta et scriptorum testimonia satis ampla demonstrant; contraria plane est Anacreonteorum condicio, quae quanquam duobus maxime metris facillimis conscripta sunt, tamen et horum ipsorum prosodiaeque leges haud raro offendunt. Ante omnia igitur imago metricae Anacreontis artis nobis proponenda est, non quin nova de fragmentis cum metris conciliandis proferam, de qua re praeclare meruit Th. Bergkius, sed ut unio quasi intuitu singulas res amplectamur, amplexique comparemus.

I. Inter iambica metra Anacreon tetrametro iambico catalectico fr. LXXXIV, trimetro acatalecto fr. LXXXV — LXXXVIII cf. Hephaest. de iamb. p. 29 ed. Gaisf., dimetro acatalecto LXXXIX — XCI, dimetro catalecto

usus est fr. XCII, quod et ipsum Anacreontium dictum esse testatur Hephaest. l. l.: *καταληκτικὰ δὲ δίμετρα μὲν ὡς τὸ καλούμενον Ἀνακρεόντειον οἷον*

ὃ μὲν θέλων μάχεσθαι
πάρεστι γὰρ μαχέσθω

cf. Plotius p. 2642. Mar. Victor IV, p. 2591. Attil. Fortunat. p. 2678. Bergkius p. 54 hos ipsos heptasyllabos Anacreontis esse negat, quod nemo veterum lyricorum poetarum continuatis dimetris catalecticis usus sit neque Herodes iambographus, cujus exstant *ἡμίαμβοι* Schol Nic. ad Ther. v. 377 Alexandrinorum aetatem superare videatur; quin id quoque addit ne Hephaestionem quidem ita loqui, ac si putasset vere Anacreontis esse. His caussis motus metrum inde nomen traxisse conjicit quod Alexandrini poetae carmina, quorum argumentum Anacreonticum sit, hoc metro conscripserint. Jam vide, quid valeat haec tota ratiocinatio. Cf. Welcker Cens. Mus. Rhen. III, 2. p. 273. Quid enim impedit, si ceteri lyrici non usi sunt hoc metro, quominus Anacreon, qui primus plura metra introduxit, ejus quoque inventor esse putetur, praesertim cum levitati atque lepidae argumenti concinnitati optime respondeat? Nullum plane vestigium exstat, quo Herodes iambographus metrum invenisse dicatur; quo tempore vixerit ille vix conjectura autumari potest; jam quid inde sequitur de Anacreonte, quem omnes inventorem esse consentiunt? Quomodo autem ne Hephaestio quidem Anacreontem pro metri auctore habuerit, cum dicat *ὡς τὸ καλούμενον Ἀνακρεόντειον οἷον*, non video? Nihil enim aliud vult nisi dimetrorum catalecticorum genus esse quod Anacreontium dicitur metrum. Prae ceteris igitur metris dimetra illa Hephaestionis tempore Anacreontia dicebantur. Sed quomodo hoc fieri poterat, si seriores illi poetae Alexandrini, a quibus non longe aberat Hephaestio, primi hoc metro usi essent? Nonne ab auctoribus ipsis metra nomen acceperunt, ex argumenti similitudine nunquam? Quid autem de Alexandrinis? quisnam Anacreontica carmina eos composuisse auctor est? Accedit quod dimetra acatalecta et ab Hephaestione adscribuntur Anacreonti neque a Bergkio negari possunt. Quidnam immensi discriminis inter dimetra acatalecta et catalectica intercedit, ut de illis non dubitetur, quin continuatis usus sit Anacreon, haec plane rejiciantur? Re jam dijudicata vix opus erit accersere scholiastam Heph. ed. G. p. 172, qui pro nobis propugnat: *τὸ μὲν ἀνακρεόντειον οἱ ἀρχαῖοι τὸ δίμετρον ἰαμβικόν φασι τὸ καὶ ἀκατάληκτον — οἱ δὲ νεώτεροι* etc. *Τοὺς ἀρχαίους* dicit Scholiasta Hephaestionem ipsum, in universum omnes, qui Alexandrinorum grammaticorum aetati adscribendi sunt. Ex particula *καί* autem apparet scholiastam non solum dimetrum iambicum catalecticum sed etiam acatalectum Anacreontii nomine contineri significare sine dubio Hephaestionis loco, ubi tantum catalectici dimetri mentio fit, respecto. Quare omissum inter *τό* et *κα* extistimaverim *κατάληκτον* a librariis, quanquam fortasse et scriptor ipse

ingenio supplebat. His disputatis, quae ad Anacreontea carmina maxime pertinere postea videbimus, ad Anacreontis metra enumeranda redeamus. Dimetrum quoque iambicum brachycatalectum Anacreontis nomine inscribi auctor est Servius Centimetr. p. 1818. cf. Bergk. An. p. 231.

II. Inter trochaica metra tetrametro acatalecto usum esse poetam apparet ex Hephaest. de troch. p. 36. 10. et ex fragmentis fr. LXXIX — LXXXIII, neque diversa videntur esse dimetra acatalecta, quae a Plotio p. 2648. Heph. ed. G. p. 261 Anacreontia dicuntur.

III. Ex dactylicis metris tetrameter catalecticus cf. Heph. de dact. p. 39. fr. LXVI. LXVII nominandus est; huc quoque referendus versus logaoedicus, quem Hephaestio p. 90 inter asynartetos enumeravit cf. Herm. Epit. p. 216 §. 515. cf. fr. LXXIV — LXXVIII.

IV. Latius patet choriambicorum versuum usus: trimeter catalecticus Servio teste Anacreontius dicebatur, ejusque exstant exempla fr. XXVIII — XXX. Heph. de choriamb. p. 52. Ipse primus per totum carmen pro primi choriambi trochaeo tribrachyn adhibere studuit cf. Heph. l. l. Neque alienus ab ejus usu est trimeter hypercatalecticus Heph. ed. G, p. 295. Ex tetrametris et acatalectus obvenit fr. XXII. XXIII et catalectus fr. XX. XXI cf. Heph. ed. G. l. l., atque in his ipsis legem quandam sibi imposuit Anacreon ut secundum quemque et quartum pedem iambicum faceret.

V. Ionici versus ut ex Ionibus nomen accepisse dicuntur Schol. Heph. ed. G. p. 160 ita ad Anacreontem vere Ionicum poetam maxime pertinent. Ab eo ipso autem immutatus est versus Ionicus a minori; cum enim Aeolenses lyrici religiose ex puris ionicis pedibus facerent, anaclasi usus est in eaque primam arsim solvit cf. Herm. Epit. ed. II. p. 169., idque respicit Hephaestio p. 68 cum dicat *παρὰ δὲ τῷ Ἀνακρέοντι ἑτέρως ἐσχημάτισται* aut *κατὰ τὸν ἀνακλώμενον χαρακτῆρα πολὺ παρὰ τῷ Ἀνακρέοντί ἐστί*. Tetrametri acatalecti ionicorum a minori versuum inveniuntur fr. XXXIX — XLV. Ex tetrametris brachycatalectis tota Anacreontis carmina constant fr. XLV — XLVIII. Heph. de Ion. min. p. 68. Idem cadit in trimetros et acatalectos fr. XLIX — LIII et catalectos fr. LIV. cf. Heph. l. l. Optime autem in Hephaestionis loco, ubi post trimetros commemoratos sic pergit scriptor: *τὸ δὲ ἀκατάληκτον κατὰ τὸν ἀνακλώμενον χαρακτῆρα πολὺ παρὰ τῷ Ἀνακρέοντι ἐστί*.

παρὰ δηῦτε Πυθόμανδρον κατέδυν ἔρωτα φεύγων

interjiciendum esse conjecit Mehlhorn. Inter *τὸ δέ* et *ἀκατάληκτον*: *δίμετρον τό*, cum dimetri acatalecti intelligantur cf. Heph. ed. G. p. 307. fr. LX—LXV.

VI. Ex versibus mixtis Glyconei ab Anacreonte non solum usurpabantur sed certis quibusdam legibus magis definiebantur; inde factum est ut et ipsos Anacreonticorum nomen accepisse omnes fere grammatici testentur, quos collectos invenies apud Bergkium An. p. 34 seq. cf. Heph. ed. G.

p. 303. Hanc enim secutus est regulam ut hiatu aut brevi syllaba nunquam interrumperet systematum tenorem neque pro ultimo iambo uteretur anapaesto cf. Haupt Quaest. Catull. p. 24. Bergk. An. p. 30. Hermann Epit. p. 199 §. 476. Licuit autem illi propter ipsam systematis perpetuitatem ultimum iambum solvere in tribrachyn.

Glyconeis versibus autem admiscuit Pherecrateos, non eundem quidem ubique versuum numerum observans, attamen non sine regula. Aut enim binis et quaternis Glyconeis interposuit Pherecrateum cf. fr. I. II. III. V aut ternis cf. fr. IV. VII. VIII. XV.

Ex Glyconeo et Pherecrateo qui compositus est versus Priapeius, ejus exemplum affertur apud Hephaest. p. 59, quod ad Anacreontem pertinere ex alio loco apparet, fr. XVI.

Ad Glyconeorum genus pertinere, non ad antispastos, Phalaecios versus optime demonstravit Herm. Epit. p. 135 §. 356, p. 203 §. 486; quare hujus loci est eorum mentionem facere. Anacreontem autem his usum esse apparet ex loco Atil. Fortun. p. 2676. cf. Heph. ed. G. p. 306: „hendecasyllabus quem Phalaecium vocamus apud antiquos solebat incipere „alias a spondeo alias ab iambo alias a trochaeo ut apud Catullum — quae „omnia genera hendecasyllabi Catullus et Sappho et Anacreonta et alios „auctores secutus non tanquam vitiosa vitavit sed tanquam legitima inseruit;“ cf. Ter. Maur. c. 4. v. 2849, fragmenta XXXVI et XXXVII his hendecasyllabis conscripta sunt. Neque alia hendecasyllaborum species, quam ex trimetro choriambico catalecto grammatici constare putarunt, ab Anacreonte aliena est cf. fr. XXXIV. XXXV.

VII. Asynartetus, versus qui affertur ab Hephaestione p. 90 G. (τὸ διπενθημιμερὲς τὸ ἐγκωμιολογικὸν καλούμενον), cum ab Hermanno summo iure inter logaoedicos referri, quia quinta a fine syllaba semper brevis est in omnibus locis, supra vidimus. Alia autem asynartetorum species exstat in fr. XXVII. Heph. p. 96 ed. G., in qua choriambico cum iambis commixto metro adjunxit poeta ithyphallicum. Versus autem aut alium alii κατὰ στίχον adjunxit aut unam eandemque stropham satis brevem iteravit (μονοστροφικὰ carmina). cf. Bergk. An. p. 55.

Jam vides quanta metrorum varietate usus sit Anacreon, quantopere ipse in novis inferendis aut immutandis iis elaborarit, quam poeticum ingenium ex his ipsis elucear. Sex diversa metra ejus nomine inscripta sunt. Ac ne scimus quidem num omnium metrorum, quae adhibuerit Anacreon, exempla nobis servata sint in paucissimis fragmentis, quanquam ea metri gratia maximam partem commemorata sunt. Progrediamur ad Anacreontea, quorum metra primus recte distinxit Hermannus quibusque legibus continerentur constituit; accuratius etiam Mehlhornius Prol. p. 12. sqq. disputavit eumque Hermannus in novissima epitomes editione p. 171 secutus est.

Quinque autem versuum genera in Anacreonteis reperiuntur: dimetri iambici catalectici, dimetri ionici a minore, plerumque anaclasin habentes, Pherecratei cum ionicis conjuncti, dimetri ionici cum trimetris conjuncti (οἶκος et κονκούλιον), politici versus, ex quibus quae ultimo loco posita sunt duo genera non inveniuntur nisi infima Graecarum litterarum aetate.

1) Dimetri iambici catalectici ut iure Anacreonti vindicantur, quanquam unum hoc metro conscriptum fragmentum exstat, saepissime in Anacreonteis reperiuntur; in universum autem legem eam observatam invenies, spondeum neque secundo neque tertio loco pro iambo poni cf. 1 (κγ'). 2 (κδ'). 9 (ιδ'). 10 (ί). 11 (ς'). 12 (ϑ'). 13 (ιά). 14 (ιβ'). 15 (ζ'). 16 (ις'). 17 (ιζ'). 19 (κα'). 20 (κβ'). 31 (η'). 32 (ιγ'). 33 (κε'). 40 (λγ'). 47 (λζ'). 55 (κς'). In quibus odariis reperiuntur spondei, ea aut plane corrupta sunt ut quid librariorum culpae, quid poetae tribuas nescias cf. 27 (μζ') aut aliis ex caussis seriori aetati adscribenda sunt cf. 23 (λδ'). 50 (νε'). 25 (μγ'). fr. I part. 2 (νϑ'). fr. III (νζ'). Interdum dimetri iambici, Pherecrateis distinguuntur od. 35 (νε'). 38 (μη') secundum Lachmannianam textus constitutionem.

2. Inter dimetros ionicos a minori catalecticos puri per unum carmen totum perpetuantur nec sine singulari quadam condicione, omnium enim anacruses contractae sunt od. 30 (ιϑ'). Neque desunt exempla ubi puri cum anaclomenis miscentur aut ut strophas disiungant od. 42 (με') aut ordine plane nullo observato od. 5 (μβ'). 6 (μα'). 36 (ν'). 37 (μδ'). 41 (λς'). 52 (νη'), in quo unus purus exstat, 53 (νδ'). In plerisque autem carminibus dimetri ionici anaclasin habent od. 3 (λα'). 4 (λ'). 7 (κϑ'). 8 (λε), ubi δὲ in δὴ v. 11 mutandum, 21. 22 (ιζ'). 26 (μς'), modo plures anacruses mutentur, quod facillime fit, 28 (ιε'). 39 (μη'). 43 (λβ'). 44 (κη'). 45 (κζ'). 46 (κζ' +). 48 (β'). 49 (κδ' +). 51 (νς'). 53 (νγ'), in quo v. 16. corruptus est. 54 (να'). fr. I (νϑ'). — Lindau in transponendis aut mutandis verbis libere grassatus est, nihil spectans nisi ut omnes ionici puri expellerentur cf. od. 5 (μβ'), 2. 14. 15. od. 6 (μα'), 1. 5. 8. od. 36 (ν'), 8. 12. od. 37 (μδ'), 3. 5. 14. od. 39 (μη'), 13. 27. od. 41 (λς'), 9. 10. od. 42 (μ'), 5. 9. od. 51 (νς'), 8. od. 52 (νη'), 4. od. 53 (νγ'), 40. od. 54 (νβ'), 14.

Ut in universum dimetros Jonicos a minori jure adscribi Anacreonti vidimus, sic misceri quoque ab eo puros cum anaclomenis sine ordine ex fr. LXII v. 5. 11 apparet. In una tantum re Anacreonteorum poetae longius progressi esse videntur, quod in amphibrachy pede, qui est in medio ionico anaclomeno

⏑⏑—′|⏑—′⏑|—⏑ et prima et tertia syllaba pro anc pite uterentur; attamen Anacreontis fragmenta pauciora sunt, quam ut ipsum hoc sibi concessisse praefracte negaveris. Dimetrorum et iambicorum et ionicorum strophas quasdam primus in Anacreonteis invenit Graeter Specim.

Anacr. Lyr. redintegr., iterum deprehendit Mehlhornius atque ad certas quasdam normas redegit. Num verò in iis carminibus, quibus iisdem versus repetuntur, recte ex stropharum semel constitutarum ambitu versus sustulerit aut lacunam statuerit, valde dubitandum videtur, in brevibus enim carminibus variae, si volueris, strophae locum habent, modo versum addas aut demas. Ex strophis, quibus iidem versus repetuntur, aliae sunt ternorum versuum cf. od. 24 (μα′). 30 (ιϑ′). 31 (η′), aliae quaternorum cf. od. 13 (ια′). 15 (ζ′). 20 (κβ′). 21 (ιζ′). 22 (ιη′). 26 (μϑ′). 36 (νγ′). 39 (να′). 41 (λϑ′). 42 (μγ′). 55 (κς′). 66 (κ′), aliae quinorum cf. od. 9 (ιδ′). 17 (γ′). 23 (λζ′). 25 (μς′). 32 (ν′). 33 (κς′). 54 (νδ′), senorum od. 4 (λγ′). In od. 54 (νδ′) quintus quisque versus purus ionicus est, cum ceteri sint anaclomeni, in od. 33 (νε′). Pherecrateis in quarto loco positis strophae aperte clauduntur.

3) Unicum tantum exstat exemplum, ubi ex nuda illa iamborum aut ionicorum simplicitate ad majorem metrorum varietatem atque artem evehantur Anacreontea. Pherecrateis enim, quos apud genuinum Anacreontem cum Glyconeis maxime conjunctos esse supra vidimus, primo loco positi sunt, paullo deflectunt in iambicos, dum plane iambici versus evadant od. 34 (νβ′), cujus metrorum schema hoc est:

—′⏑⏑—′|⏑—′⏑
—′⏑⏑—|⏑—′⏑
—′⏑⏑—′|⏑—′⏑
—′⏑⏑—′|⏑—′—
—′⏑|—⏑⏑—′—
⏑—′|—⏑⏑—′⏑
⏑—′⏑—|⏑—⏑
⏑—⏑—⏑—⏑

Lindau p. 20 verbis transpositis *μέτρον ἄμετρον* effecit, duos enim extremos versus sic constituit:

⏑—⏑|—⏑⏑—
⏑—⏑|—⏑⏑—

qui neque Pherecratei cf. Herm. Ep. p. 192 neque Glyconei sunt.

4) Jam ex metrorum simplicitate ac levitate in posteriorum seculorum inscitiam atque negligentiam incidimus, cujus vestigia satis clara in Anacreonteis extant. Accentus enim vis, quae jam in lingua quotidiana sub Graecarum civitatum labefactatam libertatem magnopere praepollebat, eo magis aucta est, quo latius vulgabatur Graecae linguae usus, neque jam aures canendis recitandisque carminibus veterum quantitatis quae dicitur syllabarum legibus, quibus admirabilis illorum metrorum varietas atque euphonia nitebatur, imbuebantur. Ita factum est ut labes illa ex lingua quotidiana in doctorum hominum libros, quin in carmina ipsa invaderet. Primum vocales

α, ι, υ, pro lubitu aut longae aut breves factae sunt, accentus autem in penultima syllaba ut poneretur fere curabatur. Huc pertinet illud carmen 62 (ξϐ'), quod in Theodori prodromi dialogo *τι τῆς Ἀνακρέοντος μούσης* dicitur atque ex senis dimetris ionicis catalecticis atque binis trimetris constat cf. Herm. Epit. ed. II p. 173. Ipsum metrum respicit Schol. Heph. ed. G. p. 173: — *οἱ δὲ νεώτεροι* (oppositi *τοῖς ἀρχαίοις* i. e. Hephaestioni ejusque aequalibus) *διαιροῦσιν αὐτὸ* (*τὸ ἀνακρέοντειον*) *εἰς τε κῶλα ἓξ καὶ εἰς δύο· καὶ τὰ μὲν ἓξ κῶλα φασὶν οἴκους, τὰ δὲ δύο κουκούλιον καὶ ἐπιδέχονται οἱ μὲν οἶκοι ἀνάπαιστον καὶ δύο ἰάμβους καὶ περιττὴν συλλαβήν — τὸ δὲ τούτων κουκούλιον σύγκειται ἔκ τε τοῦ ἐλάσσονος τῶν δισυλλάβων ποδῶν τουτέστι τοῦ πυρρίχιου καὶ ἐκ τοῦ μείζονος ἤτοι τοῦ σπονδείου.* Aliis in carminibus, quae aut ipsa Anacreontea propter metrum dicuntur aut internam Anacreonteorum rationem imitantur, multo magis excultum invenies hoc metri genus. Pro senis enim dimetris Anacreonteis strophae quae ex quaternis versibus constant ponuntur, inde systemata *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* componuntur. Praeclare Hermannus Epit. d. m. p. 174 ed. II sic carmen a Cramero editum Anecd. Paris. v. IV p. 380 distribuit in tria systemata illius generis, quorum prior pars duas quaternum dimetrorum strophas et cuculium duum trimetrorum, altera tres quaternum dimetrorum strophas et item duum trimetrorum cuculium habeat, iisque annexum est pro epodo systema, cujus prima et tertia pars eaedem sunt atque in praecedentibus systematis, quae autem inter has media est secunda pars, una tantum stropha et cuculio absolvitur. Magis etiam variatur metrum a Sophronio in Anacreonteis ab Angelo Maio in Spicil. Rom. t. IV editis. In universum tria genera apud illum distinguenda sunt; primum quod quaternum dimetrorum strophas et cuculium duum trimetrorum continet, secundum, quo duobus cuculii trimetris annexa est stropha ternum dimetrorum in eaque eadem atque in trimetris profertur sententia mutatis verbis, tertium *ἐπῳδικόν*, quo longa stropharum dimetrorum series clauditur duobus trimetris. Saepe certus stropharum numerus non servatur cf. od. I, XIX, XX, XXI, XXII. Aliis in odariis quaternas strophas quaternum dimetrorum sequitur cuculius cf. od. II, III, IV, VII, XVII, aliis tria systemata reperies, quorum primum et tertium bis quaternas strophas cum cuculis continent, medii altera pars ex quatuor, altera ex tribus strophis consistit cf. od. XII, aliis item tria systemata, quorum medium bis quatuor strophas cum cuculio continet, primum et tertium binas habet partes, alteram quatuor stropharum cum cuculio, alteram trium stropharum cum cuculio cf. od. V, VIII, IX, X, XI, XIII. Epodici illius generis unum exstat exemplum, in quo viginti dimetrorum strophae clauduntur duobus trimetris cf. od. XVIII. Quod in codice Barberiniano statim Sophronii odas sequitur atque volumini Spicilegii Romani quarto quasi appendix p. 543 adhaeret Sophronii monachi iatrosophistae odarium

de Josepho, duabus partibus continetur, quatuor dimetrorum strophis cum cuculio, quibus sese ad cantandum accingit poeta, et viginti quinque strophis cum cuculio, quo cuculii prioris verba repetuntur.

5) At non in hac metrorum corruptione acquiescere licet; duo enim exstant carmina 24 (λη'). fr. III (λϑ'), in quibus nihil aliud curarunt poetae nisi ut octenae syllabae versum efficerent in penultimaque poneretur accentus, quare in fr. III et ἰδεῖν v. 5 et πνέουσαν v. 8 mutari debet. Ad dimetros ionicos anaclomenos efficiendos non dubitant poetae ει ante syllabam accentu notatam corripere, ε et ο producere, praesertim cum accentu efferantur. Qui autem proprie politici versus dicuntur tetrametri iambici catalectici cf. Henrichsen de polit. vers. p. 48, eos in carmine 18 (δ') inesse, quod num in versus distribui posset jam Taneg. Faber desperavit, Mehlhornius suspicatus est. Nihilominus ne nunc quidem omnia quadrant, modo leges a Struvio primo propositas, ab Henrichsenio paullo mutatas adhibeamus. Nam quod Struvius statuit in priore tetrametri parte aut in ultima aut in antepenultima syllaba accentum poni, hoc non observatum invenies v. 3. 6. 7. 8; contra penultima secundae tetrametri partis syllaba ubique accentum habet. Accedit quod si secundum accentum syllabas aut producimus aut corripimus, per totum fere carmen trochaei, non iambi evadunt. Quanquam enim non solum in primo et quinto pede pro iambo, ut Struvius existimavit, trochaeus ponitur sed etiam in secundo, tertio, sexto, septimo pede cf. Henr. p. 65 seq., tamen in quarto, qui quasi cardo totius metri est, commutari non potest. At in nostro carmine versuum 3. 6. 7. 8. priores partes in trochaeos exeunt. His caussis ductus Henrichsenius p. 53 totum carmen non iambicis, sed trochaicis tetrametris conscriptum esse conjicit, loco Maximi Planudae in auxilium vocato ex Bachm. Anecd. II, p. 100, ubi de politicis versibus querens hexametros non ista labe infectos opponit: τὰ δὲ ἰαμβεῖα τε καὶ τροχαῖα τετράμετρα οὐδὲν δεινὸν ἔδοξεν εἰ τοῦ μέτρου ψιλώσαιεν. Recte quidem, sed non solum iambi neque trochaei sed iambi cum trochaeis mixti in carmine isto inesse videntur. Politicos autem versus ante decimum p. Chr. n. seculum non facile in usu fuisse scimus cf. Henr. p. 41: jam igitur quanto propius ista Anacreontea his metris conscripta a nostra aetate absint quam ab Anacreonte apparet.

Restat adhuc ut pauca de consonantia litterarum, quae apud nostrates dicitur alliteratio, adjiciam, quae in Anacreonteis latissime patet neque tamen a quoquam nisi leviter commemorata est. In universum ut idem his in rebus Graecae linguae eveniat, quod praeclara Naekii de alliteratione dissertatione cf. Mus. Rhen. 1829 III, 2. nacta est lingua latina, maxime optandum sit. Pauca ejus de Graecorum alliteratione, quae dicitur, verba apponam: „Graeci ut vim factae suo loco alliterationis minime ignora„verunt neque potuerunt ignorare quo erant ingenio ad omnem elegantiam

„promtissimo sed in sonis litterarum ubi res ferebat atque occasio, nullo „non modo elaboraverunt et luserunt, ita — numquam cupiditate allitera- „tionis — ea se abripi passi sunt, quae possit cum cupiditate Romanorum „comparari.“ Jam Gellius l. VII, 20 apud Homerum maxime consonantiam litterarum inveniri commemoravit; inter posteriores scriptores Isocrates homoeoteleutis maxime studuit cf. Gell. XVIII, 8, quae tamen cum rhetorico consilio atque arte illata sint orationi, ad alliterationem proprie non pertinent. Quare in Anacreonteis quoque quae propter vim rhetoricam adamatae sunt verborum, maxime praepositionum repetitiones cf. 2 (κδ′) 5. 6. 7: τοῖς ἰχθύσι — τοῖς ὀρνέοις — τοῖς ἀνδράσι. v. 10. 11: ἀντ' ἀσπίδων — ἀντ' ἐγχέων. od. 4. (λ) 1. 2: ἐπὶ μυρσίναις — ἐπὶ λωτίναις. v. 11. 12: τί σε δεῦ — τί δὲ γῇ. od. 5. (μβ′), 1. 3. 6: τὸ ῥόδον ter repetitum v. 6. 7. 8. 9: ῥόδον — ῥόδα — ῥόδα. od. 8. (ιδ′) v. 2. 3: πόθεν et quae sunt aliae, hae omnes a nostra disputatione disjungendae sunt. Difficile quidem dijudicaveris, utrum alliteratio ex linguae ingenio ut ita dicam nescio ipso scriptore proficiscatur an ad aures suaviter afficiendas studio quodam quaeratur. Attamen certo si qui fuit alliterationis apud Graecos usus nonnisi modicus fuit; omnia igitur carmina, in quibus saepe occurrit, ad posteriorem aetatem releganda videntur, ubi homines non jam veteri mûsicae veteribusque rhythmis assueti hoc vocabulorum tinnitu gaudebant; quin nonne Germanicae linguae vim aliquam in Graeca exercuerint videndum sit. Alliteratio aut primae syllabae sive litterae est aut mediae aut extremae. Ad primum genus pertinent od. 3 (λα′), 11. 12: βρέφος εἰμί — βρέχομαι δὲ; id. v. 15. 16: ἀνὰ — ἀνεῴξα. v. 19. 20: παρὰ δ' ἐστίην — παλάμαις δὲ; v. 21. 22: ἀνέθαλπον — ἀπέθλιβον. v. 26: βλάβεται — βραχεῖσα. od. 18. (δ′) v. 6: ποίει πότον. od. 12. (ι′), v. 1: φιλοπαίγμονος. v. 2: φιλέω; v. 8: φιλέω. v. 9: φθόνον. v. 10: φθόνον. v. 11: φιλολοιδόροιο. v. 12: φεύγω. od. 47 (β′), 2. 3. 4: φονίης — φέρε — φέρε, od. 51 (νς′), v. 16. 17: ῥοθιον — ῥοδέων. Secundi generis duo exempla exstant: od. 37 (μδ′) v. 7. 8: ἀφελῶς — νεφελῶν. od. 38 (μη′), v. 7: παρέστω καὶ μαχέσθω. Tertii generis vestigia plura adsunt; maxime adamatur alliteratio in exitu versuum, ut ad similitudinem carminum nostrorum homoeoteleuta ista fere accedant. Similis binorum versuum exitus per tota carmina ut lex observari coeptus est quinto decimo demum seculo auctore Corai cf. Henr. de vers. polit. p. 89. 90. Mehlh. Anacr. p. 32. Haec autem homoeoteleutorum exstant exempla in Anacreonteis: od. 20 (κβ′), v. 1. 3: ἔστη — ἔπτη. v. 5. 7. 11. 15: εἴην — γενοίμην — γενοίμην. v. 6. 8: ἐπέλθῃ — παρέλθῃ. od. 41 (λς′) v. 1. 2: οἶνον — Βάκχον. v. 3. 4: χορείας — μολπάς. v. 7. 8: λοχεύθη — ἐτέχθη. v. 9. 10: λύπα — ἀνία. v. 11. 13: κερασθὲν — μιχθέν. v. 15. 16: λάβωμεν — μεθῶμεν. v. 21. 22: χορεύειν — παίζειν. od. 53 (νγ′), v. 4. 5: ἄημα — χάρημα.

Pauca igitur odaria sunt, in quibus omnino alliteratio inveniatur, od. 3 (λα'). 18 (δ'). 20 (κβ'). 37 (μδ'). 38 (με'). 41 (λς'). 42 (μ'). 51 (νς'). 53 (νη') inter eaque maxime notanda sunt od. 3 (λα'). 20 (κβ'). 41 (λς'). 42 (μ').

Quae huic capiti addenda esset de musica carminum ratione disputatio, quanquam magni sane momenti est in dijudicanda aetate eorum, plane omittenda mihi videtur, cum et ipse his rebus maxime obscuris minime imbutus sim et desint testimonia omnia, quibus nisi de Anacreonteis dijudicemus. Anacreontem ipsum ἁρμονίαν χυμίσαι cum Ibyco et Alcaeo ex Arist. Thesm. v. 151. constat, tribus harmoniis Phrygia, Lydia, Dorica usum fuisse tradit Posidonius apud Athen. XIV, p. 635. c. Si sequi licet odarium LIV (M. νζ') serioris aetatis foetum, ea, quae dimetris ionicis anaclomenis conscripta erant carmina, secundum Phrygiam harmoniam canebantur, poeta enim iste dicit:

ἐλεφαντίνῳ δὲ πλήκτρῳ
λιγυρὸν μέλος κροαίνων
Φρυγίῳ ῥυθμῷ βοήσω.

Sed quaenam metra his harmoniis respondeant nonnisi conjiciendo assequi possumus. Accedit quod posteriores scriptores musicorum instrumentorum nomina ut barbiton, magadin, lyram promiscue usurpaverunt. Nihil igitur me dicere malo quam nimia aut falsa.

Cap. II.

De textus Anacreonticorum carminum historia.

§. 1.

Quomodo propagata sint Anacreontis carmina.

Litteris tradidisse ipsum Anacreontem carmina multis ex caussis verisimile est: primum enim in ea aetate vixit, quae a pristina illa simplicitate longe recessit, qua carmina ex populo quasi ipso nata populi ore circumferuntur, jam ad summum florem evectae erant coloniae Ionicae, jam mercatura florebat, jam populus aut liberum reipublicae statum sibi comparaverat aut tyrannorum prudentia atque opibus coercebatur. Anacreon autem minime vir popularis erat, sed cum tyrannis ipsis conjunctissimus; sapientia praeter omnes excellebat, ut Polycrati magister adderetur Himer. Or. XXX, 3. Welcker Cens. Bergk. Mus. Rh. III, 1. p. 130, postea gravissimis conciliis interesset. Quid igitur? num ejus carmina populi ore tantum propagata esse putemus, qui ipse non in populi corona caneret carmina sed accubans tyrannorum epulis, quibus pauci tantum iique nobiles aderant? Accedit quod Anacreon non in uno loco, una regione semper morabatur, ubi carmina sensim in succum atque sanguinem populi verterentur, sed tum

Tei erat tum Sami tum Athenis tum Abderae. Neque tamen vestigium exstat diasceuastae, qui disjecta diversa in loca carmina collegerit litterisque tradiderit. Atque quae gravissima caussa est, Polycrates et Pisistratidae, quibuscum conjunctissimus erat Anacreon, primi bibliothecas condiderunt librosque ut Homeri sic aliorum colligendos curaverunt cf. Athen. I, 3. Nitzsch de hist. Hom. fasc. I, p. 102. Quid autem? num ejus poetae, quem summis honoribus cumularunt, quem Hipparchus nave, quae quinquaginta remis agebatur, missa accersiverat, carmina conscribi conscriptaque servari in bibliothecis non curavissent? Diversas autem fuisse carminum collectiones, aliam Athenis, aliam Sami, aliam fortasse Tei in patria urbe, quanquam comprobari non potest argumentis, tamen non omni verisimilitudine caret. Nobis quidem una eaque Attica carminum editio respicienda est, cum Attici scriptores maxime Anacreontis mentionem faciant Athenisque, quae flos quasi si litteras spectamus totius Graeciae erat, maxime petiverint, et doctrinam et libros Alexandrini docti homines. Quare si repugnantia multa in carminibus invenimus, minime ex editionum diversitate caussa petenda est. — Sed cum veteres populi maxime Graeci in universum non tam legerent poetarum carmina quam audirent atque canerent, tum hoc maxime cadit in id genus poeseos, quod nisi cum cantu et musica conjunctum vim fere omnem amittit. Huic autem ex Anacreontis carminibus paroenia quam maxime annumeranda sunt, quorum locus in commissationibus laetis est. Atqui non alium fere populum invenies, qui tantopere festivis compotationibus delectatus sit neque tamen magis a Scythico clamore atque immoderata ebriositate abhorruerit, quibus magis Gratiae Musaeque conjungebantur cum Lyaeo quam Graeci. Non igitur mirum, si mox Anacreontis cantilenae ubique in commissationibus audirentur propagarenturque audiendo per plura secula. Exemplum luculentum nobis proponitur apud Gellium N. A. 19, 9 ex posteriore Romanorum tempore, ubi non ipsi quidem compotatores canebant sed canentes Anacreontica pueros audiebant: „ubi eduliis „finis et poculis mox sermonibusque tempus fuit, desideravit (Antonius Ju„lianus rhetor) exhiberi quos habere eum adolescentem e terra Asia sciebat, „scitissimos utriusque sexus, qui canerent voce et qui psallerent, ac postea„quam introducti pueri puellaeque sunt, jucundum in modum *Ἀνακρεόντεια* „pleraque — cecinerunt." Illo tempore jam ex commissationum consuetudine recedebant cantilenae in scholas psaltarum, quibus docti pauci Romanos et a cantu magis alienos et luxurie fluentes delectarent. Sed ut redeamus ad Graecos Graecasque compotationes, in canendo ipso caussa inerat cur cantilenae facile mutarentur. Cum enim tribus rationibus cani soleret in conviviis, ut aut omnes una canerent aut singuli secundum ordinem aut ordine non observatoqui peritissimi essent in canendo, alter alterum exciperet, singuli aut nova plane carmina, prout subito pangebantur, cane-

bant aut easdem sententias mutatis verbis exprimebant aut initia vel exitus, quos memoria tenebant, recitabant novis adjectis. Sensim factum est, ut multa eodem tempore carmina in populi ore versarentur simillima quidem argumento, simillima metro; immutata tamen verbis, quae a posterioribus referrentur omnia ad Anacreontem. Quomodo iidem carmini diversi exitus apponerentur, apparet ex eo carmine, quod nobis Gellius 19, 9 servavit, cujus exitus in codice Palatino plane alius est atque apud Stephanum et Gellium. Quo magis tempora, quibus haec carmina nascebantur, recedebant ab Anacreontis aetate, eo minus et dicendi ratio Anacreontis et res, quae ad ipsum pertinebant, respiciebantur; nihil jam reliquum erat quam metrum, quo ipse primus pepegerat carmina, et sententiae quaedam communes.

§. 2.

Quid critici Alexandrini elaboraverint in Anacreontis carminibus.

Cum flore ipso litterarum Graecarum evanescente ut ex immensa scriptorum copia praeclarissimos quosque eligerent, in quibus interpretandis atque ab omni menda castigandis studium poneretur totum, spectarent docti homines Alexandriae versantes, lyricorum quoque novem canona constituerunt. Anacreontem in eum relatum esse ex pluribus locis apparet cf. Anth. Pal. IX, p. 62. n. 184 ep. inc. auct., ubi *γράμμια τ' Ἀνακρείοντος* post Pindarum, Bacchylidem, Sappho ante Stesichorum, Simonidem, Ibycum, Alcaeum, Alcmanem nominatur inter eos:

πάσης
ἀρχὴν οἳ λυρικῆς καὶ πέρας ἐσπάσατε.

Alio loco Anth. Pal. IX, p. 203. n. 571, ubi novem lyrici nominantur, Anacreontis quoque mentio fit: *πειθὼ Ἀνακρείοντι συνέσπετο.* Sine dubio genuina Anacreontis carmina, quae libris scriptis, non cantu solum propagata erant, ab Alexandrinis tractabantur. Hi quoque primi carmina in libros distribuisse videntur, quorum quinque commemorantur a Crinagora A. P. II, p. 81. n. 239. cf. Antip. Sidon. A. P. VII. p. 212. n. 26: *ἐκ βίβλων.* Athen. XV, 671: *ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν μελῶν.* Etym. M. v. *μῦθος*: *ἐν δευτέρῳ τῶν μελῶν.* Ammon. ed. Valck. p. 42: *ἐν δευτέρῳ* cf. Bergk. An. p. 165. 181. Ne antiquissimum quidem Alexandrinorum criticorum Zenodotum Ephesium ab Anacreonte abhorruisse, patet ex Schol. Pind. Ol. III, 52. cf. Bergk An. p. 25. *Aristarchum* in interpretando Anacreonte versatum fuisse ex Athenaeo XII, p. 671 compertum habemus; qui praecessit eum *Aristophanes*, hunc jure quoque inter Anacreontis criticos retulerimus, modo recte Hephaestionis locum p. 134 ed. G. perspiciamus: *καὶ μάλιστα εἴωθεν ἀστέρισκος τίθεσθαι ἐὰν ἑτερόμετρον ᾖ τὸ ἆσμα τὸ ἑξῆς ὃ καὶ μᾶλλον ἐπὶ τῶν ποιημάτων τῶν μονοστροφικῶν γίνεται Σαπφοῦς τε καὶ Ἀνα-*

κρέοντος καὶ Ἀλκαίου· ἐπὶ δὲ τῶν Ἀλκαίου ἰδίως κατὰ μὲν τὴν Ἀριστοφάνειον ἔκδοσιν — κατὰ δὲ τὴν Ἀριστάρχειον etc. Quanquam enim primo aspectu nonnisi de Alcaei editione Aristophanea loqui videtur scriptor, tamen hi tres poetae Sappho, Anacreon, Alcaeus, quod ad signa illa critica attinet, quae significent mutatum carminis metrum, plane conjunguntur; tum singulare quid de Alcaeo dicitur, non quod et Aristophane critico usus sit, sed quod Aristophanes et Aristarchus, qui in illis duobus consentiant, in Alcaeo eodem asterisco alius pro alia re usi sint. Neque in universum principes illi artis criticae unius scriptoris textu recensendo continebantur, sed ad totum canona pertinebat eorum studium. Quin singularem librum et Chamaeleon Ponticus composuit de Anacreonte cf. Ath. XII, 533 c. et Hephaestio περὶ τοῦ παρ' Ἀνακρέοντι λυγίνου στεφάνου, de quo disputavit Tenarus cf. Ath. XV, 671 f. Hi quidem omnes magis in rebus interpretandis quam in textu constituendo versatos fuisse verisimile est. In Aristarchea editione, quae ab Hephaestione ἡ νῦν ἔκδοσις dicitur, omnes acquieverunt; eaque et Romam translata videtur, ubi Catullus primus Anacreontem imitatus est, et posterioribus grammaticis in usu fuit. Quam diu integra Anacreontis carminum collectio in hominum manibus fuerit non liquet. Mox quidem ex populi ore prae imitatorum et Graecorum et Romanorum turba evanuisse videntur carmina genuina neque nota fuisse nisi metricis et grammaticis, qui antiqua et obsoleta aucupabantur. Unum exstat vestigium ad tempus quoad omnia apud grammaticos servata sint Anacreontis carmina significandum. Terentianus enim Maurus p. 1246 cum de metro loquatur, adjecit:

„metrum quo memorant Anacreonta
„dulces composuisse cantilenas."

Ipse igitur Anacreontis carmina hoc metro scripta non suis oculis viderat, nonnisi fama quadam obscura audierat. Contra Athenaeus Anacreontem Amorem decantantem in omnium ore esse perhibet XIII, p. 600 d. Num genuina Anacreontis carmina usque eo servata sint, dum sacerdotum Graecorum flagranti odio una cum aliis ut Menandro, Diphilo, Apollodoro, Philemone, Sapphone, Alcaeo succubuerint, quod ex Demetrio Chalcondyla audivisse se puerum profitetur Joannes de Medicis cf. Alcyon. de exs. l. I. in exitu, valde dubitaverim. Potius plurima illa Anacreontea intelligenda sint tum etiam populo ipsi nota.

§. 3.

De imitatoribus Anacreontis.

Quanquam in §. 1. quomodo mutarentur Anacreontis carmina novaque immiscerentur longo temporum spatio, declaravimus, tamen nonne vestigia imitatorum, qui non forte ad imitandum Anacreontem agebantur sed consilium atque rationem quandam sequebantur in ea re, inveniantur, nobis

videndum erit. Statim occurrit nobis locus, ad quem nemodum (praeter Bernhardy Hist. gr. litt. II, p. 503, quem opere jam absoluto inspicere licuit) attendit animum in Anth. Pal. vol. III, p. 814. n. XV, ubi in margine ad Joannis grammatici Gazaei ἔκφρασιν πίνακος κοσμικοῦ leguntur haec: — καὶ ὅτι ἡ πόλις αὐ (Gaza) φιλόμουσος ἦν καὶ περὶ τοὺς λόγους εἰς ἄκρον ἐληλακυῖα ἐλλόγιμοι ταὐ τῆς πολ ἰωάννης προκόπιος: τιμοθ ὁ γράψας περὶ ζώων ἰνδικῶν· καὶ οἱ τῶν ἀνακρεοντ ποιητ ξ διάφοροι. Ex una igitur urbe Gaza non magna plures exstiterunt Anacreontis imitatores; quantus eorum inveniatur numerus ex toto Graecoromano imperio! Gazaeus quoque nominatur Joannes grammaticus in alphabetario codici Barberiniano praeposito cf. Ang. Maï. Spicil. Rom. IV, p. XXXVII inter Anacreonticos poetas, ejusque exstant quinque anacreontea nondum edita. Quin in ipsis Anacreonteis inveniuntur, quibus in Anthologia Planudea et in apographo Spalettiano certa quaedam nomina inscripta sunt: odario 59 (ε′) Julianus ἀπὸ ὑπάρχων Aegyptius, qui sub finem quinti p. Chr. n. seculi vixit et Basilius odario 47 (β′), qui utrum episcopus ille magnus fuerit an imperator comes sacrarum largitionum Honorio imperante non dijudicarim. His duobus exemplis nisus Welckerus Cens. Bergk Mus. Rh. III, 2. p. 306 subditicia omnia Anacreontis carmina ad Juliani Iustinianique tempora referri quam vel minimae eorum parti majorem tribui antiquitatem mavult. Quin uno carminum loco poeta sese ut Anacreontem imitetur excitat. cf. I (νϑ′):

τὸν Ἀνακρέοντα μιμοῦ
τὸν ἀοίδιμον μελιστὴν
φιάλην πρόπινε παισίν
φιάλην λόγων ἐραννήν.

In singulis carminibus considerandis alia secundum aliorum exempla expressa esse inveniemus. Ac ne ea quidem Anacreonteorum collectio quae conjuncta est cum Constantini Cephalae anthologia, imitatorum studia effugit; ante omnia Nicetas Eugenianus plura odaria paene verbotenus suae narrationi amatoriae innexit cf. Mehlhorn Proleg. p. 26 sq.

Restat demum ut pauca de alio imitatorum genere dicam, de christianis poetis, qui hymnos Anacreontico metro conscripserunt. Christiani enim ut plurima paganorum instituta atque mores servabant quidem, sed sensim servatis externis formis alias intulerunt sententias, ita hymnos christianos carminum popularium formae substituebant, ut eo facilius populo in succum et sanguinem verterentur. Sic Arius praecepta sua versibus Sotadicis pepigit cf. Zell Fer. scr. I, p. 61; sic Synesius, Gregorius Nazianzenus, Maximus Margunius hymnos Anacreontico metro, quo non facile aliud magis populare erat, confecerunt. Quanquam autem Synesius h. I, v. 2 sp. sese

μετὰ Τήϊαν ἀοιδὰν
μετὰ Λεσβίαν τε μολπὰν
γεραρωτέροις ἐφ' ὕμνοις

evecturum esse pronunciat, tamen facere non potest quin et sententias et verba ex Anacreonte mutuetur cf. h. I, v. 25. v. 45. Aperta quoque imitationis vestigia apparent apud Gregor. Nazianz. cf. Corp. poet. ed. St. p. 185 sq., modo compares odam I, v. 3—10 cum Anacreonteo 41 (λς'), 5 sq, et odam II, 1: *τί σοι θέλεις γενέσθαι* etc. cum Anacreonteo 12 (ϑ'), 1: *τί σοι θέλεις ποιήσω*. Neque Margunius repudiavit Anacreontis sententias atque verba cf. h. VII, 16 cum An. 25 (λϑ'). Eadem Sophronii odarum nuper ab Ang. Maio editarum ratio est; ut enim Homericae dicendi formulae in iis reperiuntur ut *κῦδος ἀγείρεω*, sic plurimae illae, quae apud Anacreonticos poetas in usu fuere, in Christianas illas Anacreontico metro conscriptas translata sunt. Jam exempla proferre liceat, in quibus Sophronium non certos quosdam Anacreonteorum locos imitatum esse dixerim, sed in universum dicendi rationem. Canendi, celebrandi notio ut in Anacreonteis, sic apud Sophronium plurimis modis effertur: *ἀείδειν* sive *ᾄδειν αἶνον* XI, 8. *Ἀσίδος-λύτρον* Id. 99. *πτολιήν* XVII, 107. *πόνους* XIX, 107. *Γεθσημιανῆ* XX, 39. *τοὺς ἀέθλους ὅστις ἀείδει* XII, 17. cf. Anacr. 1 (κγ') 2. 7: *ᾖδον ἄϑλους Ἡρακλέους*. 39 (μη'), 19: *Κύπριν ἀείδω* fr. I (νζ'), 11: *ἀείδω-ἐρωτικὰς ἀοιδάς*; tum *λιγαίνειν* Od. II, 4. 39. 42. 105. III, 2. XII, 2. XVII, 4. 24. XXI, 6 cf. An. 39 (μη'), 3: *Μούσας λιγαίνειν* et An. 62 (ξδ'): *λόγοις λιγαίνω*; tum *μέλπειν* aut nude positum *ὕμνους* Od. V, 35. *ἄσμια* Od. VI, 21. *χάριν* Od. VI. 38. *πάρθενον* XIII, 12. *νομῆα* XII, 23. aut cum dativo rei, qua celebratur *μέλεσιν* IX, 8. *πηκτῖδι* XVII, 18. cf. An. 39 (μη'), 15: *μέλπω βιότου γαλήνην*. 41 (λς'), 2: *ἀναμέλψομεν-Βάκχον*. 53 (νγ'), 3: *ῥόδον μέλπειν*; denique *βοᾶν μέλος* Od. V, 4. *ὕμνον* Od. XI, 3. XVIII, 9. *εἶχος* XII, 9, *σϑένος* V, 101. cf. An. fr. II (νζ'), 29: *μέλος κροαίνων βοήσω*. Non minus quae ad lyram pertinent dicendi formulae, *λύρην δονεῖν* Od. III, 3. XIII, 5. XVII, 2. XXI. 2. *πηκτίδος ἄρχεσθαι* VI, 17. *κιθάρην πλήττειν* XII, 19. *κιθάρην τινάσσειν* IX, 6. apud melodos illos Anacreonticos in usu fuere cf. An. fr. II. (νζ') *ἄνα βάρβιτον δονήσω*. Quod in Anacreonteis maxime locum habet *χορεύειν* vocabulum genuina notione dictum cf. 5. (μβ') 16. 6 (μα'), 7. 24 (λη'), 8. 27 (μζ'), 5 etc., a Sophronio maxime adamatur ad internum Christianorum gaudium significandum cf. Od. X, 68 *ἐσορῶν ἀγλαΐην ἣν λάχε Παῦλος-χορεύσω*. XII, 4: *στίχα μαρτύρων χορεύειν*. XVII, 105: *ἵνα σὺν ξένῳ πολίτης ἐσαεὶ γελῶν χορεύοι*. XIX, 30: *μέσον ἐσμολῶν-ἱεροῦ δόμου χορεύσω*. XX, 22: *τύμβου κίονας-φιλέων ἄγαν χορεύσω*. Neque desunt Anacreontica illa verba *γελᾶν* et *γάνυσθαι*. cf. Od. XVII, 105 *γελῶν χορεύον*. XVIII, 9: *γελόων βοῶ τὸν ὕμνον*. XX, 44: *γεγαννμένος* non *Ἀναίῳ* sed sacrorum locorum ad-

spectu. Loco illi An. 3 (λα'), 4: *μερόπων δὲ φῦλα πάντα* simillimum invenias apud Sophronium Od. I, 19: *μερόπων ὅλη γενέθλη*. V, 58: *μερόπων-πᾶσα γενέθλη*. VII, 99: *βροτῶν φῦλα πάντα*. Interdum non imitationi, sed unius aetatis, ad quam et Sophronii odae et Anacreontea pertinent, usui eadem dicendi ratio debetur, sic *νόμοι* S. Od. II, 25: *νόμους τεκούσης* An. 49, 8: *νόμους φιλούντων* aut *γαλήνη* translate dictum S. Od. II, 99: *γαλήνη γενέης βροτῶν*. IV, 72: *ἀπόλυσον ἐν γαλήνῃ*. XVIII, 11: *τὴν φίλην γαλήνην-δέδωκε κόσμῳ* v. 15. 59. 69. 73 cf. An. 39 (*μή'*), 8: *βιότου γαλήνην*. Hac ratione factum est, ut Anacreontica carmina a festivis commissationibus avocata sententiis commutatis canerentur in austeris coenobiis atque ecclesiis ad Deum summum, Christum, Mariam celebrandas.

§. 4.

De Anacreonteorum collectionibus earumque codicibus.

Quae nunc exstat Anacreonteorum collectio, duobus ex fontibus profecta est, ad quos quicunque criticam artem exercet, redibit: alter est Stephani editio princeps a. MDLIV, alter codex Palatinus Anthologiae graecae, cujus scripturam et Spaletti et Levesquius repraesentare studuerunt editionibus quam religiossime expressam. Stephanus quidem non ex uno se codice hausisse profitetur sed ex duobus cf. ed. IV p. 200, ubi post quinquaginta quatuor carmina transit ad alia, quae ipsi minus genuina videntur esse: *τὰ μὲν ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀντιγράφοις μετὰ τῶν λοιπῶν εὑρόμην*. Quales autem hi fuerint codices non declarat, nisi quod ad primam odam haec annotat: „in altero exemplarium nimirum in eo quod in libro id est „cortice scriptum reperi primum locum occupat haec oda."

Qui codex num unquam exstiterit, maximam excitavit dubitationem Robortellus de arte critica p. 26, atque carmina potius ad Stephanum quam ad Anacreontem auctorem referenda esse censuit. Quid autem inscriptum fuerit in codice illo carminibus non satis liquet; Stephanianus enim titulus *Ἀνακρέοντος Τηΐου μέλη* facile Stephano ipsi debetur. Quare huic quidem testimonio nulla auctoritas tribui potest. At nuper exstitit vir doctus Hofmann Peerlkamp in Nov. Act. Soc. Rheno-Traj. I. p. 121, qui librum manuscriptum Stephani reperisse sibi videtur; audiamus eum: „Stephanum bona fide „egisse mihi apparuit, qui ms. viderim, ex quo suam ille editionem confecit. „Hoc opera nobilissimi Vemperi ex Bibl. Leid. utendum habui. Constat „paginis fere XXII forma quarta. In fronte legitur *Ἀνακρέοντος Τηΐου* „*Συμποσίακα ἡμίαμβα· κτῆμα ἐρρίκου Στεφάνου*. Huc illuc notulas suas „adspersit easdem fere quas postea cum literata civitate communicavit. „Carmina graeca incipiunt ab *Ἀνακρέων ἰδών με*. Hinc et ex reliquo „eorum ordine constat Stephanum Anacreontica descripsisse ex cod. Vat.

„aeri postea insculpto a Jos. Spaletti. Idem codex deinde in Bibl. Paris. „translatus nomine Anacr. Vaticani celebrabatur.“ Quae cum ita sint neque ullum alterius manuscripti, in quo *θέλω λέγειν Ἀτρείδας* primo loco positum erat, exstet vestigium, nunc in codice Vaticano solo acquiescendum erit, e quo quid ad antiquitatem carminum aut comprobandam aut infringendam conferat, videamus. Codex Vaticanus secundum Levesquium Notices et extraits V, p. 265 ultimae Anthologiae Cephalanae parti agglutinatus erat, eademque manu scriptus esse videtur, qua nonnulla folia item adjuncta Anthologiae; pro scribendi ratione in decimum seculum referendus videtur esse. Nunc jam non invenitur in codice Palatino Heidelbergam relato; cui pars extrema inde a pagina DCXIV deest. Quare Spalettii et Levesquii editiones nobis codicis loco habendae sunt. Jam carminum diversorum ordinem, quae in codice Palatino congesta sunt, videamus: in indice Anthologiae, qui primo folio codici agglutinato perhibetur, post epigrammatum collectionem, Joannis grammatici Gazaei *ἔκφρασιν τοῦ κοσμικοῦ πίνακος*, post Theocriti *σύριγγα*, Simmiae *πτέρυγας*, Dosiadae *βωμόν*, Besantini *ὠόν* et *πέλεκυν* haec leguntur: — *ἰδ ἀνακρέον τηΐου συμποσιακὰ ἑμιάμβια καὶ ἀνακρέοντια: καὶ τρίμετρα: τ ἁγίου γρηγορι τ θεολόγου ἐκ τ ἐπῶν ἐκλογαὶ διάφοροι*; annectuntur Arethae, Anastasii, Ignatii, Constantini, Theophanis epigrammata. Ex hac ipsa carminum collocatione eum qui omnia collegit non Anacreontis ipsius editionem sed delectum quendam cantilenarum in compotationibus usitatarum in manibus habuisse, quae Anacreontis quidem nomine circumferebantur, sed recenti demum tempore collectae erant, luculenter apparet. Ne delectus quidem integer servatus est, cum desint trimetra. Atque ex titulo illum ne ipsum quidem omnia Anacreontis esse existimasse sed disjunxisse Anacreontis carmina et Anacreontica optime demonstravit Welckerus Cens. l. l. p. 283—296, quanquam *Ἀνακρεόντεια* non solum de carminibus Anacreontico metro conscriptis sed de Anacreontis ipsius carminibus dicitur apud Gell. 19, 9., ubi *Ἀνακρεόντεια* pleraque et Sapphica opponuntur poetarum recentium *ἐλεγείοις*, neque Hephaestio de iamb. p. 29 ed. G. ubi dicit *οἷα τὰ Ἀνακρεόντεια ὅλα ἄσματα γέγραπται* metri genus sed auctorem significat. Atque quod gravissimum est, primis statim carminibus poetarum nomina inscripta sunt. Non minimum quoque accedit ad Welckeri sententiam confirmandam emolumentum ex indice in codice Barberiniano, de quo statim uberius agendum est, exhibito: quanquam enim toti indici superscriptum est: *πῖναξ· τοῦ ἁγίου Σωφρονίου ἀρχιεπισκόπου Σολύμων ἀνακρεόντια*, tamen et multis eorum titulis praeponitur *τοῦ αὐτοῦ* et multi alii anacreonteorum scriptores proferuntur. Externis igitur caussis eo quoque adducimur, ut non genuina Anacreontis carmina a librariorum culpa interpolationibusque liberanda sint,

sed ex anthologia quadam, quae ab Anacreonte ipso abjudicanda non videantur, quae prioribus, quae posterioribus imitatoribus debeantur, discernamus.

Alius plane Anacreonticorum poetarum collectionis cum jam a Leone Allatio Schol. ad Eusth. Antioch. p. 285. Fabric. Vol. XII, p. 22. ed. Harl. spes quaedam excitata esset, tum nostris temporibus in Spicilegio Romano t. IV. a Petro Matranga Graeco-Siculo et codicis natura, in quo illa perhibentur, accuratius descripta est et index titulorum una cum viginti duobus Sophronii odariis exhibitus. Codicis membranei, qui in Barberiniana bibliotheca Romae asservatur, partes duae sunt; ex foliis enim 121 quatuordecim quaterniones i. e. 111 folia, cum codicis frons desit, elegantissime seculo ferme XIII. exarata sunt; qui sequitur quintusdecimus quaternio una cum duobus foliis adjectis seculo ferme XV. ex archetypo descriptus est in rudiore membrana, diverso atramento diversisque litteris. Maxima autem codicis pars periit seu temporum injuria, seu ut manus antiqua in eodem codice notavit, a reliquis partibus hujus Anacreonticae anthologiae separata a possessore verecundo magis quam philologo. Quare cum ex iis quoque, quae servata sunt in codice, carminibus nonnisi Sophronii odae publici juris factae sint, exinde quid ad Anacreonteorum historiam conferat, videamus. Ante omnia num vere Anacreontica anthologia dici possit haec carminum collectio, tum ad quamnam aetatem pertineant, qui nominentur poetae, postremo quae argumenta carminum perhibeantur, quid ex comparatione cum Anacreonteis, in quibus tota disputatio versatur, instituta lucremur, spectandum est.

Quod ad primam quaestionem attinet, Sophronii *ἀνακρεόντια* inscriptum est toti indici, tum duorum ejus carminum titulis praeponitur *τοῦ αὐτοῦ ἀνακρεόντιον καιὰ στοίχους*, qua caussa nescio, cum et cetera *ἀνακρεόντια* sint et *κατὰ στοίχους* composita; quod sequitur Sophronii monachi odarium, non inscribitur *ἀνακρεόντιον* sed est revera; jam nominatur Heliae Syncelli *ἀνακρεόντιον καταννκτικόν*, tum *τοῦ αὐτοῦ θρηνητικόν*; Michaelis Syncelli et Ignatii odaria num *ἀνακρεόντια* sint, non adscriptum est; nihilominus et inter media anacreontia proferuntur, et ex paucis versibus a Matranga exhibitis apparet Anacreontica esse. Iterum *ἀνακρεόντιον καταννκτικόν* sequitur. Arethae archiepiscopi quatuor odaria num *ἀνακρεόντια* sint, non liquet, nihilominus si titulos spectamus ut *εἰς τὰ Λέοντος βρουμάλια*, verisimillimum est. Leonti magistro adscribuntur: *ἐπιτύμβιον ἀνακρεόντιον, τοῦ αὐτοῦ ἀνακρεόντιον, τοῦ αὐτοῦ ἀνακρεόντιον*; jam sequenti odario *εἰς τὸν γάμιον τοῦ αὐτοκράτορος Λέοντος* nihil additum, sed anacreontium esse apparet ex sequentibus: *ἕτερον ἀνακρεόντιον τοῦ αὐτοῦ, — ἕτερον ἀνακρεόντιον τοῦ αὐτοῦ, τοῦ αὐτοῦ.* Joannis grammatici Gazaei quae nominantur *ἐπιβατήριος, τοῦ αὐτοῦ λόγος εἰς τὸν — Ζαχαρίαν τὸν ἀσκαλωνίτην· ἔχει δέ τινα καὶ εἰς τὸν — Ζαχαρίαν τὸν γαζαῖον πα-*

ρόντα τῇ ἀκροάσει, τοῦ αὐτοῦ ἐπιθαλάμιος-, τοῦ αὐτοῦ σχέδιον-μετὰ τὸ εἰπεῖν τοὺς ποιητάς, τοῦ αὐτοῦ λόγος ὃν ἐπεδείξατο ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν ῥόδων, τοῦ αὐτοῦ τίνας εἴποι λόγους etc., quod ter repetitur, num haec omnia anacreontica, immo odaria fuerint, valde dubitandum videtur, cum λόγοι, λόγος ἐπιδεικτικός nominentur atque quae postremo loco posita sunt, rhetoricae plane exercitationes sint. At et ad ἐπιβατήριος, ἐπιθαλάμιος, postea ἀνακλώμενος, ἱκετήριος, ἄλλος, ἕτερος, quibus certo poemata significantur, λόγος supplendum erit, unde de poesi quoque dici λόγον apparet; et rhetoricae illae exercitationes cum alias metris contineantur cf. Cramer Anecd. Paris. IV, p. 295, ubi iambicis trimetris conscriptum invenis τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ - κυφοῦς νικηφόρος ἀποτεμνομένων τῶν εἰκόνων αὐτοῦ, tum hoc loco in rebus mythologicis versantur, ideo magis poeticis formis conveniebant; in universum mediis poetarum odariis interposita esse pauca quaedam pedestris orationis scripta non crediderim. Non minus versus de quacunque re pangendi studium in schola Gazaea, in qua Joannes grammaticus doctoris munere fungebatur, floruisse videtur quam in nostratium scholis et antecedente seculo et his ipsis temporibus. Anacreontea autem fuisse Gazaei poemata ex nota illa, quam supra attulimus ex Anth. Pal. v. III, p. 814. n. XV, maxime verisimile fit. Eadem Georgii grammatici ratio est, cujus septem odariis tractantur res mythologicae rosam spectantes, duo sunt ἐπιθαλάμια, unum εἰς τὰ βρουμάλια. Haec Anacreontia fuisse ex initiis a Leone Allatio in Diatr. de Georg. ap. Fabr. Bibl. gr. t. XII, p. 22. allatis luculenter apparet. Leontis philosophi ἀνακρεόντιον εἰς βρουμάλια statim sequitur, adjecto encomio. Post Sergii grammatici, Philippi nomina nude posita Leontii grammatici commemoratur ἀνακλώμενος, qui nihil est nisi ἀνακρεόντιον, Constantini grammatici ἀνακρεόντιον, Theophanis grammatici ἀνακρεόντιον, ἀνακρεόντιον συμποσιακόν titulis iisdem atque in altera Anacreonteorum collectione. Cum igitur plurima poemata ab indicis confectore ἀνακρεόντια dicantur, ubi omisit, anacreontia esse aut ex ipsis aut ex titulis satis appareat, anthologia anacreontica optime dici potest, si et metrum Anacreonticum et universam dicendi rationem spectamus. In altera indicis parte, quae incribitur ἀλφαβητάρια ἕτερα διαφόρων ποιητῶν, ἀνακρεόντιον vocabulum nulli titulo appositum est; carmina cum aut res ex sacra historia desumtas tractent aut κατανυκτικά ad jejunia instituenda aut παραινέσεις ad Judaeos conversos, ad alios sint, aut hymni Basilium imperatorem, Christi reditum celebrantes, aut ἐπιτύμβια aut de rebus illo tempore factis agant, simillima quidem sunt iis, atque in priore indice nominabantur, quare anacreontica omnia fuisse verisimile est; atque carminum reliquiae, in codice servatae, quae secundum Matrangam politicis versibus conscriptae sunt, Anacreontia dimetra ostendunt. Quod ad secundam quaestionem attinet, cujusnam aetatis poetae hac anthologia contineantur, de multis

quidem nihil plane liquet, cum ne nomina quidem alias proferantur neque ex carminum argumentis quidquam elici possit; in universum autem inter septimum et decimum post Chr. n. seculum vixisse qui proferuntur scriptores apparet. Sophronius Heraclio primo regnante (610 — 614) archiepiscopi Hierosolymitani munere fungebatur; in odariis ipse expugnationis a Persis factae (616) et restitutae libertatis (630) meminit.

Michael Syncellus imaginum restitutionem Theodora, Theophili muliere, summas res tenente (842—856) celebrat.

Ignatii grammatici meminit Suidas ed. Kuster II, p. 94, qui haec habet: *Ἰγνάτιος Διάκονος καὶ Σκευοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως καὶ γεγονὼς μητροπολίτης Νικαίας γραμματικός· ἔγραψε βίους Ταρασίου* (patriarchae Constantinop. 784—806, cf. Schlosser Hist. imp. iconocl. p. 276. 356) *καὶ Νικηφόρου* (patriarchae Constant. 806—815, cf. Schlosser Hist. imp. icon. p. 416), *τῶν ἁγίων καὶ μακαρίων πατριαρχῶν· ἐπιτυμβίους ἐλέγους· ἐπιστολὰς, ἰάμβους εἰς Θωμᾶν τὸν Ἀντάρτην· ἅπερ ὀνομάζουσι τὰ κατὰ Θωμᾶν καὶ ἄλλα πολλά* (de Thoma, Michaelis Balbi adversario cf. Schlosser Hist. imp. icon. p. 457. 447).

Aretham archiepiscopum ad noni seculi exitum pertinere ex carminum titulis apparet, quibus Photius patriarcha. Leo imperator celebratur. Leo magister, cujus exstat chronographia rerum inter annum 813 et 949 factarum, sub Leontis et Constantini quinti Porphyrogenneti imperio floruit. Joannes grammaticus Gazaeus medio sexto seculo videtur vixisse.

Georgii grammatici mentionem fecit Leo Allatius diatr. de Georg. ap. Fabr. vol. XII, p. 22 ed. Harl., sed de aetate qua vixerit nihil habet.

Leo poeta et philosophus, cujus odario Bardae brumalia celebrantur, propter eximiam rerum mathematicarum scientiam a Barda Caesare, qui Michaele tertio ad omnia nefanda ac puerilia adacto ipse imperii gubernationem tenebat, academiae illi Constantinopoli conditae praepositus est a. p. Chr. n. 862, cf. Schlosser Hist. imp. iconocl. p. 495. 544. *Theophanes* idem forsitan sit atque qui Chronographiam usque ad annum p. Chr. n. 813 scripsit. De ceteris, qui proferuntur, poetis nihil constat. Extremo loco *ἄλλοι ἀρχαῖοι* nominantur post titulos illos symposiacorum carminum sine poetarum nomine propositos. Sine dubio et illi *ἀρχαῖοι* opponuntur omnibus qui praecesserunt, poetis multo serioribus, et ex vocabulo *ἄλλοι* eum qui indicem confecit, carmina *συμποσιακά* antecedentia pro antiquis, si cum ceteris comparas, habuisse apparet. — Si titulos in altera indicis parte citatos spectamus, carmina aut ad Leontem Sapientem (886—912) ipsum auctorem referuntur aut eo ejusque filio regnante a Photio, Christophoro, ut ex extremis codicis foliis apparet, aliis composita sunt. In universum igitur et multo serior haec Anacreonticorum collectio dicenda erit quam quae in codice Palatino reperitur, et multo latius patet, cum quanquam ea

tantum, quae Anacreontico metro conscripta sunt carmina, amplectitur, nihilominus si argumentum spectas, ad omnia poesis genera pertinet. Eo enim decrevit Graecorum ars poetica, ut uno metro eoque facillimo, iisdem dicendi formulis *κατανυκτικά, θρηνητικά, ἐπιτύμβια, ἐπιθαλάμια, ἐπιβατήρια, ὕμνοι, ἐρωτικά, συμποσιακά, ἐγκώμια* componerentur carmina. Omissis ceteris ea tantum carmina consideremus, quorum argumenta cum Anacreonteis, de quibus tota agitur disputatio, congruunt. Primum nobis obveniunt Joannis grammatici Gazaei odaria, quorum duo *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν ῥόδων*, alterum posteaquam discipuli dixerunt, recitasse perhibetur; argumento fuisse rosam ipsam poetis maxime sacram verisimile est. Ad rosarum illum diem celebrandum, de quo certius quid apud veteres non reperi, composita quoque videntur Georgii grammatici odaria, quippe quae versentur in mythis ad rosam pertinentibus ut *τί εἶπoι ὁ Ἀπόλλων τοῦ Ἔρωτος στέφοντος αὐτοῦ τὰ τόξα ἀπὸ δάφνης καὶ ῥόδου, τί εἶπoι ἡ Ἀφροδίτη τὴς Ἀθήνας φυτευσάσης ἐλαίαν καὶ ἀνελθόντος ῥόδου, τί εἶπoι ὁ Ἄρης τῆς Ἀφροδίτης τρωθείσης ἀπὸ ἀκάνθης ῥόδου*, alia. Cui non in mentem venit carminis 53. (M. νγ'. νδ'), quo quidquid ad rosae laudem facere potest multo sudore congestum est eique annexa mythica illa de rosae ortu enarratio? Optime sane convenit poetae, qui in festo illo rosarum die certaturus carmine prodiit. Quod sibi proposuit argumentum Joannes grammaticus *τίνας εἶπoι λόγους ἡ Ἀφροδίτη ζητοῦσα τὸν Ἄδωνιν*, idem in odario Anacreonteo, quod plerumque Theocrito adscribitur, *εἰς νέκρον Ἄδωνιν* tractatum reperis, neque *τίνας ἂν εἶπoι λόγους ὁ Διόνυσος τοῦ ἔαρος ἐληλυθότος*, dissimiles fuisse videntur a duobus Anacreonteis 37 (μζ') et 3 (λϑ') ver adveniens celebrantibus. Inter Georgii odaria et id, in quo agitur *τί εἶπoι ὁ Ἄρης τῆς Ἀφρωδίτης τρωθείσης ἀπὸ ἀκάνθης ῥόδου*, optime comparabis cum od. 40 (μ'), in quo Amor vulneratus ad matrem occurrit, et aliud, quod inscribitur *τί εἶπoι ὁ Ἀπόλλων κατατρέχων τῆς Δάφνης καὶ ἐμποδισθεὶς εἰς ἄκανθαν ῥόδου* nos commonefacit mediae odarii fr. II. (νζ') partis, ubi Apollo in Daphne capienda impeditus nobis proponitur.

Manifesto Anacreonteum odarium imitatur Leontius, qui ut index perhibet, *φιλήσας κόρην τῇ ἡμέρᾳ μὲν ποθῶν ἐπόνει, τῇ δὲ νυκτὶ κοιμώμενος ἀπηλλάττετο τοῦ ἐρωτικοῦ πυρὸς· ὀρθριζούσης οὖν χελιδόνος καὶ ἐν τῷ πτᾶσθαι τῷ ῥοΐζῳ ἐγειρούσης αὐτὸν ἐπεδείξατο κατ' αὐτῆς τοιαῦτα φάσκων*: amantem enim invenis od 12 (ϑ'), qui mane cum Bathyllum amplexus amorem expleret, excitatus a somno hirundniis cantu in eam invehitur. Constantini quoque *ᾠδάριον ἐρωτικὸν ἀνακρεόντιον ὅπερ ἦσε ἐν νεότητι παίζων οὔτι σπουδάζων, ἔλαβε δὲ τὴν ὑπόθεσιν ἐκ μελῳδίας τινὸς ᾀδομένης ἐν γάμῳ* sicut melodiam assumsit ex epithalamio, sic quod ad argumentum pertinet a plurimis illis eroticis Anacreonteis non multum abfuisse videtur. Jam devenimus ad eum locum, qui quae necessitudo inter Barberinianam ana-

creonteorum anthologiam et Palatinam intercedat aperte demonstrat; postea-quam enim *συμποσιακὸν περὶ ὀνείρων*, de quibus agunt od. 44 (λα′) et od. 23 (λζ′), index prodidit, sequuntur tredecim tituli carminum, quos non solum omnes praeter unum *εἰς καλοκέριν* in Palatina anthologia reperis, sed etiam eodem plane ordine atque in illa propositos. Primo loco *εἰς ποτήριον* positum respondet odario 17 (γ′) *εἰς ποτήριον ἀργυροῦν*; qui sequuntur tituli *εἰς ἔρωτα – εἰς ἑαυτὸν*, in Anacreonteis quoque sese excipiunt od. 59 (ε). 11 (ς′). Non idem plane atque *εἰς νεώτερον ἄλλος ἄλλον* inscriptum invenis Anacreonteo carmini, sed pluribus carminibus quae sequuntur optime convenit, ut *εἰς Ἔρωτα κηρινόν* 10 (ι′), *εἰς τὸ δεῖς πίνειν* 19 (κα′); facile quoque ex titulo illo *εἰς νεώτερον Βάθυλλον* librarii menda nasci poterat. Plane, qui tum proponuntur tituli *εἰς φιλάργυρον – εἰς γέροντα – εἰς ἑαυτὸν* cum Anacreonteorum ordine 23 (λζ′). 47 (μ′) 24 (μα′) conveniunt. Interposito illo odario *εἰς καλοκέριν*, quod quid sibi velit, mihi non satis apparet (ne forma quidem obvenit eadem sed alia *καλλικέρως*, forsitan ex *εἰς καλὴν κούρην* mutilatum sit), *εἰς τὸ ἔαρ – εἰς ἑαυτὸν – εἰς φιλοπότην – εἰς νεώτερον* (plane convenit od. 54 (νδ′), quo Cybeben juvenem invocat poeta, etiamsi inscriptum sit *εἰς ἑαυτὸν*) eodem ordine proposita reperies atque od. 37 (μζ′). 38 (μη′). 26 (μϑ′). 54 (να′). 35 (νβ′). Ex hac ipsa comparatione anthologiae Barberinianae auctorem anthologia Palatina usum fuisse indeque odaria quaedam sumsisse apparet. Ex altera indicis parte duo tantum tituli ad nostram rem faciunt *ἄλλος πρὸς· νεώτερος εἰς κοῦρον – ἕτερος πρὸς· ὄρνεα καλὰ καὶ μ. τ.*, unde carmina Anacreontea hoc titulo inscripta tum temporis in hominum ore fuisse imitationeque expressa videmus. In universum igitur quantopere serioris aetatis poetae in Anacreontico poesis genere elaboraverint ex hac anthologia nuper reperta elucet; ut quando nova quaedam eaque satis antiqua Anacreontea ex codice valde mutilato atque lacerato in lucem proferantur ab Angelo Majo, sperare licet.

§. 5.

De carminum ordine.

Quanquam neque in Stephaniana editione neque in codice Vaticano secundum certum quoddam consilium carmina in ordinem redacta videntur neque bene fieri poterat in carminibus, quibus eadem fere sententia subest, tamen modo accuratius comparemus utrumque ordinem, satis multa odaria in utroque sese excipientia videmus, quae plane idem tractant argumentum, quorum alterum nihil nisi imitatio videtur esse alterius. Sic od. 18 adjungitur odario 17 (δ′. γ′), quorum utrumque de poculo caelando agit, eadem ratio est carminum 28. 29 (ιε′ ις′), quorum secundum ad prioris exemplum compositum est; excipiunt sese 21. 22 (ιζ′ ιη′), quae a novissimis editoribus in

unum conjungi solent. Ut quae ad potandum excitant carmina 6. 5 (μα′, μβ′) sic ea, in quibus Bacchus adveniens describitur, 26. 27 (μς′, μζ′) conjunguntur. Quod unum exstat apud Stephanum carmen 58 de rosa celebranda, ex eo in Palatino codice duo facta sunt sese excipientia. Casui hoc tribui non posse facile apparet, sed ex rei ipsius natura profectum est; antiquioribus enim carminibus seriora, quae imitabantur ea, et in memoria ipsa canentium adhaerebant et in conscribendo apponebantur. Duentzer in Zimmerm. Ephem. 1838 p. 758 cum ordinem et apud Stephanum et in cod. Palatino multis locis eundem inveniret, conjecturam fecit, quae primo quidem aspectu ingenii aciem prae se fert sed falsa atque inanis plane est. Putat enim duas collectiones esse Anacreonteorum in unam conjunctas, alteram a Basilio alteram ab Juliano confectam, priorem pertinere usque ad od. ϰ in codice Palatino eique respondere Stephani od. IX. XXII. XVI. XXIII—XXVII, modo excipias od. δ′, λδ′, λη′, ε′. Juliani collectione contineri putat od. ϰγ′—ν′ praeter λδ′, λη′, μγ′, μζ′, μς′, cui respondeant Stephani I—VIII. XXXIII—XLVII. Jam interjicit od. ϰα′, ϰβ′, να′—νδ′, quae a tertio, qui odaria colligebat, adjecta censet. Quae universa consensio in hac dissensione sit non intelligo; ante omnia autem, quomodo factum sit, ut eorum, qui collegerint, prooemia non alterum alteri parti praeposita sint sed alterum ad alterum apposita, non explicat Duentzer. Quin ipsi Basilii et Juliani collectionum confectores mera inventa sunt.

LIBER SECUNDUS.

DE SINGULORUM CARMINUM ANACREONTEORUM ANTIQUITATE ATQUE PRETIO.

Haesitanti mihi diu animo, quamnam rationem in recensendis singulis carminibus sequerer, ea demum mihi aptissima visa est, ut secundum argumentum carmina in certa quaedam non genera, nam idem fere omnium est genus, sed familias distribuerem. Qua ratione et singulorum similitudo magis elucet et quae ad alterius exemplum composita sint, facile distinxeris. Neque tamen logicam plane distributionem requires in iis carminibus, quorum sententiae maxime connexae sunt, in quibus colligendis consilium nullum observatum invenies. In universum autem odoria illa aut in declarando poetae sensu excitandaque animorum hilaritate aut ad epigrammatum naturam composita in describenda imagine quadam parva quidem sed absoluta versantur. Hoc discrimen sensit quodammodo *Graeter* Specim. Anacr. lyr. redintegr., cum in quarto, quod fecit, carminum genere opposuit carmina pessimae notae iis carminibus, quae pictoria magis quam lyrica dixeris. Sicut in priore genere aut quae omnino sentiendi ratio sit poetae declaratur aut ad compotandum excitatur, quod vita brevis sit neque postea simus nisi pulvis atque cinis, aut in senectute poetae carminis summa versatur aut natura ipsa rerum vel fabulis excusatur furor Bacchicus, sic in secundo aut ipsae pictorum imagines describuntur, aut in rebus, quae poetis gratissimae sunt, celebrandis commoratur poeta, aut res factas, quae lepidam quandam sententiam continent, proponit auditoribus.

Cap. I.

Carmina quae in declarando poetae sensu atque excitanda animorum hilaritate versantur.

§. 1.

Carmina quae in universum poetae sentiendi rationem declarant.

In carmine, quod a Stephano ceteris praepositum est, (M. $\kappa\gamma'$) profitetur poeta se decantaturum esse Atridas atque Cadmum, sed lyram Amores tantum sonare. Quamobrem cum jam antea Herculis labores decantaturus

mutanda lyra nihil effecerit, abstinendum plane ab heroibus celebrandis totique sibi ad Amores convertendum censet. Quivis videt poetam praefari quodammodo carminibus amatoriis, cur epica carmina non pangat, comprobaturus. Ad epicum genus significandum tres maxime insignes cyclos nominat: Trojanum, Thebanum, Herculeum. Neque injuria, cujusnam potius poetae carmina quasi heroici carminis exempla proponere poterat quam Homeri, ad quem Thebais ab antiquissimis jam refertur cf. Od. Muell. Hist. litt. I. p. 123 et Pisandri, qui unus ab Alexandrinis criticis dignus judicatus est, ut cum Homero et Hesiodo epicorum insereretur canoni? Maxima autem simplicitas in hoc carmine apparet cum poetico colore conjuncta; quare nullius editionis non laudem tulit; Mehlhornius p. 101 Anthol. lyr. p. 87 inter praestantissima Anacreonticorum referre non dubitat. Plurium Amorum commemoratio ab Anacreonte non aliena est, qui Simonide auctore A. P. VII. n. 25 *μέλη πνειόντα Ἐρώτων* composuit. Versus optime fluunt. Quod ad dialectum pertinet, etiamsi illud *ἃ βάρβιτος* mutetur in *ὁ βάρβιτος* cf. Jac. Anth. Pal. VII, 25. v. 4, restat tamen et genitivus *Ἡρακλέους* plane ad atticam rationem conformatus, cum Iones *Ἡρακλέος* dicant et *ἄθλους* pro ionico *ἀέθλους*. Quae cum ita sint, num Anacreonti ipsi tribuendum sit carmen, quaeritur. Latinos poetas jam novisse carmen quamquam ex Horatii Od. II, 12, quam comparavit Longepetraeus p. 14, non liquet, tamen et Propertii El. III, 7, 37:

Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
Cadmi nec semper proelia clade pari;
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis artes
Et Danaum undecimo vere redisse rates etc.

et Ovidii Am. I, 1:

Arma gravi numero violentaque bella parabam
Edere materia conveniente modis.

et Am. I, 1, 2. 8: „Ferrea cum vestris bella valete modis," animis obversatum videtur esse. Carminis igitur argumentum ab Anacreonte abjudicandum non videtur, quanquam formae per temporum seriem ex ionica dialecto ad atticam deflexae sunt.

Carmini primo simillimum esse carmen XVI (M. *κς'*) jam vidit Stephanus ed. pr. p. 60; multo posterius exstiterunt inter eosque novissimus Wolper, qui carmen hoc ad primi exemplum compositum esse censerent; contra Wiedemannus p. 8. imitationem nullam agnoscens Anacreonti adscribit odarium, modo *καινὸς* mutetur in *ἐκεῖνος* suppleaturque *ἐστὶ* ad ultimam enunciationem. Ipsi quae sit carminis sententia videamus: non abnuit quidem poeta decantare bella atque expugnationes, sed dum alii aut Trojanam cladem aut Thebanam celebrent, quomodo ipse expugnatus sit non ab equitibus, non terra marive sed novo plane ex ocellis exorto exercitu cf. As. Gallus

El. I, in.: „faces jacularis ocellis," decantat. In universum eadem huic carmini atque primo subest sententia: quae enim ratio inter sua carmina et heroica intercedat significare vult poeta. Sed hoc loco exquisitius quid inest: et ipse se epicum carmen pangere fingit, in quo quae res describuntur ad ipsum pertineant. Simili ratione Asin. Corn. Gallus El. I, 82: „quid mihi cum bello? — non alias pugnas aliis pugnemus in armis". Grammaticis formis non offendimur, nam ne contracta quidem forma *ἁλώσεις* ab usu Anacreonteo abjudicanda est, cum fr. C. praebeat *λυδοπαθεῖς*. Dimetri iambici catalectici optime fluunt. Quae cum ita sint, utrumque quidem carmen et primum et sextum decimum ad unum eundemque referri posse poetam non puto propter sententiarum similitudinem, quanquam admodum antiqua aetate composita videntur.

§. 2.

Carmina amatoria.

Duobus illis carminibus inducti jam ad intima poetae adyta accedimus, ad ea carmina, in quibus amorum et calor et multitudo et dolores nobis proponuntur. Primum nobis occurrit carmen XX (M. *κβ'*), quod inscribitur *εἰς κόρην*. Ut varias induerunt interdum homines formas, ut Niobe in lapidem mutata est, Pandionis filia in hirundinem, sic poeta se mutari vult in speculum, vestem, aquam, myrrhum, taeniam, margaritam, ut proxime ab amata puella absit. In universum optatum illud sane poeticum est neque inusitatum et apud veteres poetas et apud recentiores.

Huc pertinet et scolion illud satis antiquum:

εἴθε λύρα καλὴ γενοίμην
ἐλεφαντίνη
— v. 5. *εἴθ' ἄπυρον καλὸν γενοίμην*
μέγα χρυσίον
καί με καλὴ γυνὴ φοροίη
καθαρὸν θεμένη νόον.

et tria anthologiae Palatinae epigrammata cf. A. P. V. p. 107. n. 83:

εἰθ' ἄνεμος γενοίμην σὺ δὲ δὴ στείχουσα παρ' αὐγὰς
στήθεα γυμνώσαις καὶ με πνέοντα λάβοις.

n. 84: *εἴθε ῥόδον γενόμην ὑποπόρφυρον ὄφρα με χερσὶν*
ἁρσαμένη χαρίσῃ στήθεσι χιονέοις.

Theophanis A. P. XV. p. 613. n. 35, quod num antecedens imitetur aut ipsum antecedenti exemplar fuerit non liquet:

εἴθε κρίνον γενόμην ἀργεννάον ὄφρα με χερσὶν
ἁρσαμένη μᾶλλον σῆς χροτιῆς κορέσῃς.

Quantopere haec optandi ratio populare illud Anacreonteorum ingenium redoleat, quod ubicunque terrarum quocunque tempore idem est, demonstrat carmen populare nostratium cf. Uhland Deutsche Volkslieder Bd. I. p. 21:

Wolt Got dat ich wär ein hundlin klein!
gair freundlich wollt ich mich neigen to ir
freundlich so wolt ich scherzen etc.
Wolt Got dat ich wär ein ketzlin klein
und lief in irem hause etc.
Wolt Got dat ich wär en vöglin klein
und säss up einem groenen zweige.
ich wolt ihr fleigen in's herzen grunt etc.

Multo magis ad Anacreontei similitudinem accedit carmen a poeta sub initium seculi decimi octavi confectum, quod invenies in libro: Knaben Wunderhorn III. p. 113:

Wollt Gott wäre ich ein lauter Spiegelglas
Dass sich die allerschönste Frau
All morgen vor mir pflanziert,
Wollt Gott wäre ich ein seiden Hemdlein weiss
Dass mich die allerschönste Frau
An ihrem Leibe trüge.

Has ex nostro sine dubio Anacreonteo desumtas comparationes aliae sequuntur: *Wollt Gott wär ich ein roth Goldfingerlein —*
Wollt Gott wäre ich ein Eichhorn traun.

Quin Goethii carmen afferre licebit, quod inscribitur: *„Liebhaber in allen Gestalten."* In universum igitur sententiam quae inest in carmine, non abjudicarim ab Anacreontis ingenio lepido et amore inflammato, sed res ipsae ex abaco solo desumtae potius tribuendae sunt grammatico serioris aetatis quam poetae Jonico. Quanto magis poeticum sensum redolent lyra aut lebes aurea a muliere portata aut aura afflans aut rosa in pectore recondita! At si initium carminis spectamus, manifesta grammatici vestigia apparent. Nonne enim plane ridiculum est afferre Niobes exemplum, quae dolore superata mutatur forma, aut Procnes, quarum fabulis non alia majorem excitat commiserationem in lusu amatorio! Tum demum haec comparare licebat, cum fabulae ipsae ex populi religione atque cultu plane evanuissent neque essent nisi ornamenta quaedam a grammaticis summo studio conquisita carminibusque addita. Id ipsum perspexerunt Degenius ed. II. p. 27, qui ex duobus fragmentis odarium conflatum censet, Wolper p. 19, Welcker Cens. Mus. Rhen. p. III. p. 303; copiose quidem sed inconsiderate defendit Schneider p. 307 odarium. Cumulus quasi ad haec omnia accedit, quod plurima homoeoteleuta in versuum exitu inveniuntur, quae jam

supra nonnisi serioris aetatis esse declaravimus. Ita igitur rem dijudicatam velim ut secundum genuinum Anacreontis carmen plura composita sint eaque non plane abjecta; postea autem a grammatico quodam inepto duo hujusmodi consuta sint plane disjuncta.

Amoris calores nobis proponuntur in carminibus XXI et XXII (ιζ' M.), quae a Stephano quidem atque Spalettio disjunguntur sed a Mehlhornio in unum contrahuntur, quem et alii et Welcker p. 271 secuti sunt. Contra Wiedemannus p. 25 ex diversa carminum indole carmina esse disjungenda comprobare studuit. A feminis vinum sibi dari jubet poeta, ut calorem acerrimum inter compotationem (multa enim jam biberat *προποθείς*) reprimat, itemque floreas coronas postulat, quibus frontem urentem refrigeret; quare autem ab Amorum calore flagrantem animum defendat? Qui sequens odarium statim adjungunt, respondere huic interrogationi statuunt: Amoris calorem tegi, si ad Bathylli umbram confugiat, qui cum arbore frondes leniter movente comparatur; proxime abesse fontem garrulum, quem cum aspexerit quis, praeterire locum non possit. Jam num necessario imo apte haec duo carmina conjungi possint videamus. Prioris carminis sententia per se optime stat; id enim vult poeta ut etiamsi calor compotatione excitatus reprimi possit et vino et coronis, tamen interno Amoris calori remedium afferri nesciat. Quam maxime excitatum est poetae ingenium; quidquid auxilium ferre possit, provocat, sed cum remaneat semper Amoris calor in corde, jam tristis quaerit: qui hunc defendam. Quare interrogatio in fine carminis posita offensionem praebere non potest.

Plane alia est sequentis carminis indoles: delectatur poeta describendo loco quodam reducto, quem obumbrat arbor; eumque fons irrigat. Omnia quieta sunt atque pacata, nihil furoris illius vino multo excitati, nihil interni caloris; non summo se studio accurrere una cum Bathyllo fingit poeta sed praetereuntem aspexisse locum ibique considisse una cum Bathyllo. Quid autem est *παρὰ τὴν σκιὴν Βαθύλλου* si Mehlhornii sequimur sententiam? Duobus tantum modis explicari possunt verba, ut aut Bathyllus ipse arbor dicatur, cujus umbra tegatur amor poetae, aut Bathyllus arborem possideat. Priorem explicationem amplexus est Welcker Uhlandi versum afferens, qui de pectore mortuorum memoriam tenente haec dicit:

Ein heimathlicher Schatten wehet hier,
Auch fehlen Blumen nicht an seiner Schwelle.

Sed quantopere nostra poesis maxime in imaginibus usurpandis distet a Graeco, satis notum. Nunquam allegoriam istam per plures versus propagatam Anacreontis esse existimaverim, in quo nihil quaesiti, nihil artificiosi inest. Altera autem explicatio, ad quam Mehlhornius confugere cogitur, cum priorem respuat, maxime languet. Duo igitur carmina habemus, unum Anacreonte dignum. Neque metri neque dialecti ratio ab Ana-

creonte est aliena. Ingeniose quidem Welcker p. 271 Platonem in Phaedri initio p. 229 ubi platanum altissimam ad Ilissum vigentem describit, sub qua considerint: *ἐκεῖ σκιά τ' ἐστὶ καὶ πνεῦμα μέτριον καὶ πόα καθίζεσθαι ἢ ἐὰν βουλώμεθα κατακλιθῆναι*, ad Anacreontis carmen repexisse conjecit, sed pro certo affirmari non potest.

Amorum multitudo duobus carminibus sese excipientibus decantatur od. 32 (*ιγ'*) et 33 (*κε'*). In altero nonnisi cum arborum foliis aut maris arena comparari posse Amorum multitudinem cum significarit poeta, terras enumerat, in quibus amatas habeat puellas; in altero Amorem sempiternum sibi nidulum in pectore ipsius exstruxisse conqueritur, alios ab aliis nutriri educarique Amores; quomodo pellat eos, plane desperat poeta. Utrumque carmen quamvis lepidum aperta serioris aetatis praebet vestigia. In universum enim hic Amorum parvulorum lusus plane ab Anacreontis aetate abhorret, neque prius et in poesin et in pictorum sculptorumque imagines invasit quam Romanis imperatoribus. Ex illo tempore innumerabiles paene *Ἐρώτων παιζόντων*, deorum simulacra rapientium, bestias demulcentium, circumvolitantium deorum currus imagines adhuc exstant cf. Od. Muell. Arch. p. 588. Contra quanquam ab Anacreonte ipso plures Amores proferuntur, tamen semper in juventutis flore atque vigore, non pueritiae mollitie apparent. Neque aliam effinxit Amoris imaginem Praxiteles, qui centum fere annos post Anacreontem vixit. In carmine XXXII venuste poeta non plane negat arborum frondes aut arenam numerari posse, sed per *εἰ ἐπίστασαι* condicionem ponit, quae num expleri possit, non curat. In enumerandis locis inde ab Athenis ad Corinthum, Lesbum, Ionas, Cariam, Rhodum, Syriam, Cretam, Aegyptum progreditur, tum ut omnia amplectatur, quae extra Gadiram aut Bactriam Indosque sita sunt, affert. Quanquam cum iis non facio, qui hanc geographicam nominum enumerationem plane poeta indignam esse censent cf. Taneg. Fab. h. l. Wolper p. 20, nam et sibi placuisse videntur poetae Graeci in enumerandis locis nomina neque nihil nisi nomina erant, sed locorum imagines legentibus in mentem revocabant, tamen nimia numerorum cumulatio ridiculi quid in se habet neque Anacreontem Bactrorum Indorumque meminisse existimaverim, quorum si illo tempore ulla fama ad Graecos penetravit, tamen maxime obscura atque confusa erat. Accedit quod elisio *κ' Ἰνδῶν*, quanquam fr. LXXII, 1. 2 *κοὐκ* et *κοὐ* inveniuntur, et dativus *πόλεσσι* pro ionico *πολίεσσι* ionicae Anacreontis dialecto non conveniunt.

In altero carmine hirundinem laudat poeta, quod quotannis veniens per aestatem commoretur, hieme autem in Aegyptum volitet; contra Amorem perpetuum nidulum in pectore sibi parasse; parvulos semper nasci Amores qui cum primum nutriti sint, iterum alios procreent; quid remedio esse possit quaerit poeta. Duo ultimi versus maxime vexaverunt interpretes;

Wiedemannus p. 16 ejici vult, ut interrogatione claudatur carmen, sed sine ulla caussa; Mehlhornii *στέγω* non placet, praesertim cum infinitivus appositus sit, *ἐκσοβῆσαι* cum Brunckio legendum videtur. — Serioris aetatis poetam arguit praeter totam sententiam illud *ἀπὸ κοινοῦ* in v. quinto, de quo supra disputavimus.

Unum restat carmen huc referendum od. 46 (*κζ'*+), cujus quatuor priores versus cum sequentibus non arte cohaerent. Posteaquam enim et non amare et amare difficile atque molestum esse, difficilius autem et molestius esse professus est, si quis amans non ametur, statim transit poeta ad aetatem suam vituperandam, qua homines nihil nisi pecuniam spectent; execratur eum, qui primus pecuniam amaverit, qua omnis parentum atque fratrum amor subvertatur, amantes ipsi pereant. Internus quidem rerum nexus facile agnoscitur, pecunia enim ipsa caussa est, cur non amentur amantes, sed oratio nimis abrupta est cf. Mehlh. p. 118. Teuffel Cens. Bergk. Poet. Lyr. in Nov. Ephemer. litter. Jen. III. n. 260 p. 1038. Atque Nicetas Eugenianus v. 142 — 144 nihil nisi quatuor priores versus circumscribit. Quare in duo diversa fragmenta hoc odarium disjungendum videtur, quorum neutrum ab Anacreonte plane abjudicarim. Magna enim vis cum summa simplicitate conjuncta apparet in iis. Neque offensioni esse potest, quod objecit Wiedemannus p. 11: posteriores versus ad rem meretriciam referri, quae Anacreontis aetate nondum floruerit; nam de re meretricia nihil dictum atque ditiorem procum pauperi praeferri ubicunque terrarum atque temporum occurrit. Quin eadem plane sententia in fragmento Anacreontis exhibetur fr. XXX: *οὐδ' ἀργυρέη κω τότ' ἔλαμπε Πειθώ*, cujus imitationem Welcker p. 160 nostram esse odam conjicit. At mihi quidem ne singula quidem verba impedire videntur, quominus oda ad Anacreontem ipsum referatur, praesertim cum Graeci poetae et Latini eam imitati videantur esse cf. Pseudophocyll. v. 35 sq. Bergk. Lyr. Gr. p. 344 de auro:

σεῦ γὰρ ἕκατι μάχαι τε λεηλασίαι τε φόνοι τε
ἐχθρὰ δὲ τέκνα γονεῦσιν ἀδελφειοί τε συναίχμιοις,

cf. Propertium et aliis in locis et III, 11, 48:

aurum omnes — colunt,
auro pulsa fides, auro venalia jura,
aurum lex sequitur.

Forsitan illud *τρόπος* ad *σοφίη* appositum serioris aetatis arguat carmen; non enim memini bonorum morum significatione, quae est in hoc loco, me legere hoc vocabulum in bonis scriptoribus.

§. 3.

Carmina in quibus ad compotandum fruendamque vitam excitantur hominum animi.

Carminibus proprie *συμποσιακοῖς* tres maxime sententiae subsunt, aut enim compotandi bacchandique caussa petitur ex praeceptis universis quod vita brevis sit neque quae immineant sciamus, quod omnia bibant in rerum natura, quod parendum sit deo, aut ex poetae ipsius condicione, seni enim quo propius a morte absit, eo magis fruendum esse vita. Jam hunc ordinem sequentes carmina percenseamus. In quarto carmine (λ′) propinare vult poeta prostratus in myrtis floridisque pratis; bibendi ministrum Amorem succinctum papyro sibi eligit; vita enim celerrime elabitur neque postea sumus nisi cineres; quare quae cura habetur mortuorum, ea potius in vivos conferenda est, atque curae, priusquam moriamur, abiiciendae sunt. In universum non possumus non vere Anacreonticam sentiendi rationem agnoscere, qua hodiernum solum diem curantes quam jucundissime vitam peragere studeamus. Neque singulae sententiae repugnant Anacreontis aetati; Amor non puer ille parvulus est, sed minister adultus; vita cum currus rota non inepte comparatur; poeta autem Anacreonte dignissimum est illud consilium, ut quae libationes atque unguenta offerantur mortuis, conferantur in vivos.

Id ipsum ex Anacreonte posteriores poetae sumsisse videntur cf. A. P. XI p. 321. n. 8:

μὴ μύρα μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου
ζῶντι μοι εἴ τι θέλεις χάρισαι.

cf. A. P. V p. 107. n. 85: *ὀστέα καὶ σποδιὴ — κεισόμεθα.* cf. Gregor. Nazianz. A. P. VIII p. 568 n. 107: *νῦν κόνις εἰμὶ ὀλίγη.* Neque nos movebit quod Anonymus apud Addisonem inepte loqui censet poetam de mortuorum choreis, cum de cinere antea dixerit; coronae enim et unguenta non offerebantur umbris illis in Tartaro circumvagantibus, sed corpori mortuo, quod dilabitur in pulverem. At restant sane, quae num ad Anacreontis aetatem pertineant, dubitari potest: primum num papyri illo tempore tantus apud Graecos usus fuerit, ut simpliciter pro filo diceretur; tum verba illa *ὀστέων λυθέντων* duplicem notionem amplecti possunt, ut aut ad Homericum *λύειν γούνατα* accedant aut dissipari in singulas partes significent; denique num particula *ὡς* hoc loco apte posita sit, quaeritur. Quod ad primam quaestionem attinet, bybli usus tum demum in Graecorum notitiam venit, cum Psammeticho regnante Aegyptus Graecis aperiretur; postea autem cum efflorescerat colonia Naucratis summaque intercederet inter Amasin Polycratemque amicitia atque necessitudo, latissime eum patuisse et ex bibliothecis conditis et ex lege Pisistrati apparet, qua unusquisque civis in scribendo institui jubebatur cf. Nitzsch hist. Hom. fasc. I. p. 82. 83. Inde

apparet ab Anacreontis aetate non abhorrere papyri usum late patentem. Alia est *ὀστέων λυθέντων* ratio: non enim cum Homerica dicendi ratione comparari posse existimo, quippe quae ossium ligaturas - *γούνατα* relaxari significet, minime ossa ipsa. Neque tamen alteram physico quidem homini aptissimam sed a poeta abhorrentem explicationem Anacreonti adscripserim. De particula *ὡς* fuse disputavit Mehlhornius Thucydidis locum afferens IV, 117 ubi pro *ἕως* dicatur; nostro loco caussae quoque significatio inest, non solum temporis: „me potius quippe qui adhuc vivam, unge myrrhis.“ Neque prorsus praetermittenda est elatior forma in V. 1 et 2 saepe repetita: *μυρσίναις τερείναις ἐπὶ λωτίναις τε ποίαις*, quae uno tantum loco in Anacreontis fragmentis invenitur. Quae cum ita sint, quanquam argumentum ipsum ab Anacreonte non abjudicaverim, tamen immutata videtur forma seriore aetate.

Sequitur carmen quintum decimum (M. ζ'), cujus sententia haec est: poeta nihil curat nisi redimire caput roseis sertis atque myrrhis barbam ungere; non invidet enim divitibus neque tyrannis; crastinum diem mittit, gaudet hodierno, quod facile prae morbo cras bibere non possit. Exstat quoque in Anthologia Pal. XI. p. 333. n. 47 Anacreontis nomine inscripta. Duplex autem suscitatur quaestio critica, altera num quinque postremi versus, qui nisi in altero Stephani libro et in codice Palatino non reperiuntur, pertineant ad totum carmen; altera autem in judicio de reliquo carmine ferendo versatur. Primo statim aspectu ultimos versus non quadrare ad antecedentes apparet; quid enim sibi vult adhortatio illa ad alterum facta, cum poeta de se ipso tantum loquatur et ita quidem, ut non excitet se ipsum ad hilaritatem, sed quam vitae rationem sequatur enarret? At quam excitarunt viri docti, Degenius, Wahlius, alii de tesserarum commemoratione dubitationem, ea plane inanis est, cum jam ad Stesichorum referatur jactus quidam. Neque *καὶ πῖνε-καὶ σπένδε τῷ Ἀναίῳ* quod conjuncta sint, poetae crimini verterim, cum non mera sit repetitio, modo ne illud *σπένδειν* allegorice intelligatur. Metrum plane aliud est; qui antecedunt enim ex iambis constant versus, cum quinque illi ex ionicis anacrusi contracta compositi sint. Id quidem constat, versus quinque ad antecedens carmen a librario aut ab eo, qui collegit carmina, appositos esse, ut interrogationi in fine positae responderent cf. Fisch. ed. II. p. 41., nihilominus satis antiqui videntur esse cf. Bothe ed. An. p. 139. Peerlk. p. 156. — Alterius quaestionis summa in eo versatur, quod Archilochi servantur versus simillimi, quorum jam Herodotus mentionem facit I, 12, iique ab Aristotele Rhet. III, 17 citantur cf. Bergk. Lyr. Gr. p. 472:

Οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει
οὐδ' εἶλε πώ με ζῆλος οὐδ' ἀγαίομαι
θεῶν ἔργα μεγάλης δ' οὐκ ἐρέω τυραννίδος
ἀπόπροθέν γὰρ ἔστιν ὀφθαλμῶν ἐμῶν.

Quanquam Gygis commemoratio eo magis Archilocho convenit, quo propius ab ejus aetate aberat Gyges, tamen propter hanc ipsam Anacreonteum carmen spurium esse perverse judicat Wolper p. 14. Gygis enim persona mythorum nebulis quodammodo involuta mox pro communi divitis exemplo usurpabatur cf. A. P. VII, p. 533. n. 740: *ὁ πρὶν καὶ Γύγῃ παρισεύμενος ὄλβον*. A. P. IX. p. 39 n. 110. *οὐ στέργω βαθυληΐους ἀρούρας*
οὐκ ὄλβον πολύχρυσον οἷα Γύγης.
cf. Greg. Naz. od 2, 7: *θέλεις τὰ Γύγεω σου*
τοῦ Λυδίου γενέσθαι.
At Anacreontem ipsum Archilochi verbis in brevius aliquantulum contractis composuisse carmen, nunquam crediderim. Modo quae supra de scoliorum natura atque origine disputavimus, memores simus, quomodo Archilochi carmen variatum sit intelligemus. Non possum non commemorare hoc loco quomodo Lindau carmen intellexerit, unde quae sit ejus critica ratio optime apparet. Existimat enim genuinum Anacreontem in hoc carmine et Archilochum et Sappho et Alcaeum tangere, ut singulis singulus versus respondeat, mutato in secundo versu *ζῆλος* cum *σάλος*. At primum Archilochus non dixit: *ἐμοὶ μέλει τὰ Γύγεω*, quod ei dicendum erat, si Anacreon se non curare, quod curaret Archilochus, profiteretur, sed id ipsum, quod Anacreon habet: *οὔ μοι μέλει*; tum Lindau plane non respexit apud Archilochum legi etiam *οὐδ' εἶλε πώ με ζῆλος* neque produci illud *με;* denique saltum illum, ad quem alludere putat *σάλου*, Sapphus mythicum plane esse atque ad ipsum Anacreontem referri non meminit.

In vicesimo tertio carmine (M. λδ') si auro dato vita produci posset, se ejus custodiam habiturum fuisse profitetur poeta, quod cum secus sit, omnes curas dimittendas esse nihilque spectandum nisi ut bibamus, cum amicis versemur, Veneri indulgeamus. Quam parvi fecerit Anacreon divitias, notum est ex historia illa, qua duo talenta a Polycrate ipsi donata reddidit haec adjiciens: *οὐ τιμᾶσθαι αὐτὰ τῆς φροντίδος* cf. Mehlh. p. 138. Ad eam ipsam rem respicere videtur carmen, modo animadvertamus illa: *ἐκαρτέρουν φυλάσσων-* perseverassem in custodiendo; significat igitur poeta custodiendi periculum se jam fecisse.

At inde ab Anacreonte ipso profectum esse carmen non apparet; quae contra moneantur singula percenseamus. Primum illud *ὁ πλοῦτος χρυσοῦ* offendit viros doctos; Longepetraeus p. 121 deum Plutum inepte intellexit; alii conjectura sanare locum studuerunt, quem recte stare comprobavit Fischer, cum in abundantia auri summum ponatur momentum. Tum infinitivus *θανεῖν* sine articulo positus Fabri, Schneideri, aliorum bilem ita movit, ut ex hac una caussa abjudicandum censerent carmen ab Anacreonte. Quanquam infinitivos substantivi loco etiam sine articulo poni demonstravit Jacobsius ad Anth. P. T. III. 680, tamen hoc loco infinitivus non solum

pro substantivo sed pro persona etiam ponitur cf. *λάβῃ τι καὶ παρέλθῃ*, quod ridiculi quid habet ac potius ad serioris poetae festivi ludum quam ad Anacreontis ingenium quadrare videtur. Tertio loco offenderunt duo extremi versus viros doctos cum propter metrum violatum tum propter doricam dialectum repente sine ulla caussa receptam. Recte Peerlkamp. p. 179 et Mehlhorn. p. 140 Hermanno assenserunt, aliunde additos versus videri sive, quod Mehlhornius existimat, pro duobus aliis substituti sint sive plane adjecti ea quidem aetate, ubi vocales *α*, *ι*, *υ* pro ancipitibus usurparentur. Si de toto igitur carmine judicium ferendum est, non Anacreontis quidem ipsius genuinum sed ad ejus exemplum compositum esse existimaverim.

Ad quamnam aetatem pertineat carmen visesimum quartum (M. *κη'*), ubi de metris disputavimus, jam perspeximus, quae in verbis ipsis insint vestigia nunc videamus. Enunciationes ipsae plane abruptae atque dissolutae sunt: „cum homo sim, quamnam vitae partem emensus sim scio, quae restat nescio; apage curae, priusquam moriar, ludam atque saltem cum Lyaeo.“ Primum vita comparatur cum via, qua quis incedat; tum tempus ipsum cum curriculo, per quod currat, et cum meta, quam praetereat- *ὃν παρῆλθον*; denique vitae finem non currendo assequitur sed re inversa vitae finis ipsum capit. Tum quid sibi velit *καλὸς Ἀναῖος*, quocum saltare gestit poeta, non perspicio; sumtus videtur ex carmine VI, 13. ubi cum Amore et Venere conjunctus devenit. Carminis initium concionis sacrae verba redolet, neque apud bonos scriptores *βιότου τρίβον ὁδεύειν* hac notione dicuntur; semper *ὁδὸς* certam quandam vitae rationem significat cf. Isocr. ad Dem. p. 3. *βιότου ταύτην τὴν ὁδὸν ἐπορεύθησαν*. Duo tantum in Anthol. Pal. exempla inveni, quae quomodo deflexa sit notio demonstrant: *καλῶς βίον οἶμον ὁδεύοι* et *θέειν βίου οἶμον* (valde doleo quod locos ipsos accuratius significare non possum, cum numeri, quos mihi adnotavi, non quadrent). Si carmen in monachi cellam Anacreontem imitari studentis nonumque post Chr. n. seculum relegamus, injuriam ei fecisse non videbimur.

Quod sequitur carmen vicesimum quintum, (M. *μγ'*) in loco illo communi versatur ab Anacreonte non alieno: bibendum esse ut sopiantur curae, quae nihil prosint, cum mortem omnes oppetant; nihilominus Anacreonti minime adscripserim, cum languidi quid atque usitati habeat. Quid? num Anacreontem fervidum poetam tam religiose spectasse putemus ut binis versibus enunciationes concluderentur, ut singula versuum paria sibi, quod ad sententiam pertinet, responderent? Accedit, quod duo versus acatalecti sine ordine admixti sint catalecticis atque in penultimi versus exitu spondeus pro iambo positus sit.

Alia plane carminis vicesimi sexti (M. *μς'*) natura est, quo idem argumentum tractatur; omnia excitata atque mota; superbia illa grata vino aucta ad majora semper progreditur, usque dum omnia contemnat; puer novum

poculum afferre jubetur, melius enim esse jacere ebrium quam mortuum. Croesi commemoratio optime ad Anacreontem quadrat Croesi aequalem. Moebius p. 84 plane aliud judicium tulit, carmen nullius fere pretii esse dicens, sequens vero etsi spurium laude cumulat, quod egregie sententiam exprimat vino amorem praestantiorem esse. At metris offendimus; quanquam enim primo versui transpositione verborum a Bothio facta succurri potest, tamen restant tres ultimi versus ionico numero conscripti, cum priores iambici sint. Accedit quod versus 7 et 8, si accuratius spectemus, non bene conciliantur. Si enim ὅπλιζε cum Stephano, Fischero, Wiedemanno interpretamur: ad arma currat alter, quod in genuino Anacreontis fragmento fusius dictum est:

ὁ μὲν θέλων μάχεσθαι
πάρεστι γὰρ μαχέσθω cf. Heph. p. 16.,

tum oratio plane interrupta est; priore versu alloquitur quemvis alium, posteriore puerum administrantem transitu plane non facto. At si cum Baxtero, Barnesio, aliis ὅπλιζε de ornando poculo dictum existimamus, quod multo verisimilius est, tum inepte plane annectitur versus sequens, qui idem fere continet. Quae cum ita sint duo fragmenta eaque genuina ab eo qui collegerit carmina, consuta videntur esse, cum eadem fere sententia utrique subesset. Richter cum unum carmen tueri studeat, et mutare verborum, quae in principio versuum posita sunt, formas et ὅπλιζε cum κύπελλον interjecta voce φέρε conjungere cogitur cf. p. 138.

Quantopere genuina Anacreontis carmina a posteriorum imitationibus distent, hoc loco luculentissime apparet; ad carminis enim vicesimi sexti exemplum et vicesimum septimum (μζ') et tricesimum nonum (μη') compositum est. Alterius carminis, quod propter doricas formas cf. μεθυδότας, τᾶς μέθας ἐραστάς, ὠδᾶς, Ἀφροδίτα et propter metrum plane neglectum seriori versificatorum aetati adscribendum est, sententia ipsa plane inepta est: quoties Bacchus in animum meum intravit, saltare doceor; sed aliud quoque mihi gratum est: scilicet si Venus cantu me delectat, iterum saltare cupio. Quam jejuna sunt illa verba: ἔχω δὲ καί τι τερπνὸν; quam ineptum fingere Venerem cantu hominem delectantem! Atque modo istud carmen cum antecedenti carmine comparemus, nihil fecisse videmus poetam nisi ut simplices enunciationes verborum inani turba augeret: ad deum ὁ Βάκχος quidquid epithetorum mente tenebat, congessit; plurane idem significarent ut λυσίφρων et λυαῖος, plane non curans; ad εἰσέλθῃ non potuit non fuse describere, quemnam in locum intraverit deus. Majore arte atque studio elaboratum est alterum carmen XXXIX (μη'), quod sententiam illam in genuino carmine insitam multis modis variat alternantiumque cantui accommodat. Simpliciter pro Baccho animum ingrediente dicit poeta: ὅτ' ἐγὼ πίω τὸν οἶνον; quae tria autem nasci dicuntur ex potando ut curae sopiantur, ad canendum excitetur poeta, coronis cinctus jaceat, ea fusius explicata invenies in nostro carmine. Primum ani-

mus Musas invocare coepit *θέλω καλῶς ἀείδειν*, postea in stropha quarta et quinta quae decantare coeperit, proponitur, tum in paucis illis verbis *εἴδουσιν αἱ μέριμναι* amplificandis laborat secunda stropha, denique tertia, quarta sexta stropha de coronando capite choroque Bacchico juvenum saltantium agit. Atque si singula verba spectamus metrique rationem, serioris aetatis vestigia non absunt; huc pertinent *αὖραι πολυανθέες* v. 3, in auris enim describendis epithetorumque multitudine exornandis delectabantur seriores poetae cf. Orph. hymn. 81; tum et *βιότου γαλήνην* de vita quieta, *ἁπλοῦν νόον* de animo exhilarando nonnisi sero in usum venit cf. Herm. ad Orph. p. 874.; neque *ἀποῤῥίπτονται ἐς ἀήτας* placet, cum potius procellis abripiantur curae quam in procellas cf. od. 41 (λς'), 12: *τὸδ' ἄχος πέφευγε μιχθὲν ἀνεμοτρόφῳ θυέλλῃ*. Hor. Od. I, 26: — tristitiam et metus

Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

Cum in universum seriores poetae Homericam dicendi rationem captarent, tum liberius conjunctivum post particulas temporis rationem significantes ponebant particula *ἄν* non addita cf. v. 1. 3. 7. 11. 15. 49. 23. Vix opus est hiatum commemorem in *μεν ἰανθέν* aut diphthongum *αι* in *τέρπομαι* sequente consonante littera correptam ad odarii auctoritatem infringendam. Inde a Taneg. Fabro qui vere criticam exercuerunt artem, ad unum omnes carmen spurium esse judicarunt.

Ex Scylla in Charybdin incidisse videmur, si quod sequitur carmen quadragesimum primum (M. λς') accuratius consideramus; mittamus enim dorica formas sine ulla caussa positas, conjunctivi formam Homericam, homoeoteleuta in unoquoque versu, diphthongos ante consonantem correptas, breves vocales arsi productas, ionicos puros sine ordine admixtos anaclomenis, quorum unumquodque non ad Anacreontem referri posse carmen declarat, tamen ex argumento sententiisque singulis pessimum fecisse poetam apparet. Posteaquam poeta Bacchum deum epithetis satis ineptis cumulavit, ut poculum nobis oblatum accipiamus curas autem dimittamus exhortatur, quid futurum sit nos latere, quamobrem bibendum atque ludendum. Quae principio posita est exhortatio, ea claudit carmen, in media quoque parte repetitur. Bene, at quomodo ex exhortatione in universum incidit poeta in stropha quinta et sexta in suam ipsius sentiendi rationem describendam: *μεθύων θέλω χορεύειν* et quae sequuntur? Jam aufugerunt curae vino apportato omnes, nunc aliis relinquit poeta eas, ipse solus dimisit. Accedamus ad Bacchi descriptionem: chori saltationem invenisse dicitur; recte. *Ὅλας μολπὰς* desiderat deus; quae sint *ὅλαι μολπαί* dubitatur; forsitan ii sint cantus, quos omnes cantant, ut proprie *ὅλων μολπαί* dicendum fuerit. Jam Amori et Veneri consociatur Bacchus cf. od VI, 12. 13. 14; sed quo jure Veneris amator dicatur non scio. Ex Baccho ortae dicuntur *Μέθη* et *Χάρις*, notiones ab-

stractae poetae nutu in deas mutatae; nam *Χάρις* non est illa una Homerica, quae cum Baccho nihil commune habet. At non in his acquievit poeta; *Λύπα* et *Ἀνία* deae quoque prodeunt ex ejus officina. Quantopere Graeci poetae abhorruerint a notionibus abstractis divina veste induendis satis notum est. Verba ipsa medium aevum redolere bene vidit Welcker Cens. p. 303; non enim bonus scriptor *διὰ ὅν* ad verborum passiva apposuerit, ut auctorem significet. Atque vide sedulitatem poetae, qui ut quaterni versus iisdem verbis inciperent, ut paria responderent paribus, summa cum religione spectavit.

Melioris notae est odarium XLII. (M.*μ'*), in quibus poeta quae amet, quae oderit nobis proponit. Amoris tres quodammodo gradus statuuntur: primum nominat in deliciis chorum in Bacchi honorem institutum, magis adamat fidibus canere cum compotatore juvene; sed summum locum occupat voluptas, quae ex ludo cum puellis instituendo percipiatur. Livorem atque invidiam et calumnias plane sese non nosse significat poeta, sed odio persequitur rixas inter epulas cum puellis excitatas. Sententiae ipsae Anacreontis ingenio quam maxime conveniunt, qui ut adamabat quam maxime et choros et convivia et ludos, ita valde a Thracico clamore inter epulas tollendo abhorrebat. Metra, modo in versu tertio et quintodecimo Hermanni et Mehlhornii conjecturas sequamur, nihil offensionis praebent. Dialectica quidem ratio non plane Anacreonti convenit; genitivi *συμπότου* pro *συμπότεω* et *γλώττης* pro *γλώσσης* attici sunt non ionici. Atque si ultimam stropham spectamus, plura valde displicent; primum sententia ipsa languida est neque arte cum antecedentibus conjuncta, nam nihil aliud efficit quam ut verba illa *μετὰ παρθένων ἀθύρειν* fusius circumscribat addatque formulas quasdam Anacreonteis usitatas ut *ὑπὸ βαρβίτῳ χορεύειν* cf. od 6 (*μά'*), 4; nihil plane tota stropha omissa desideramus, cum quid amet, quid oderit, satis declaraverit poeta; tum participium *χορεύων* cum *φέρωμεν* conjungere nonnisi ejus aetatis est, qua pluralis numeri notio quam maxime evanuit, neque satis probant exempla a Mehlhornio allata cf. Iph. Taur. 584, quippe quae non ad syntacticam hanc licentiam spectent; denique dicendi ratio *βίον φέρειν* a bonorum scriptorum usu valde abhorrere videtur, cum molestiarum atque laboris significatio, quam nos quidem in vita humana inesse volumus, a Graecis longissime abesset. Quae cum ita sint, extrema stropha ab imperito quodam cantilenarum poeta addita videtur ad amplificandam odam, cujus sententiae sine dubio ad Anacreontem ipsum pertinent. Huc pertinet Basilii carmen inter Anacreontea relatum XVII (M.*β'*), quo Homerica lyra sive chorda cruenta ut sibi deferatur postulat poeta; vinum enim mixturus est secundum leges constitutas, quo ebrius factus saltet cantilenamque canat. Inepte Homericam lyram postulat poeta; mox non lyrae meminit sed multa barbita audire sibi videtur. Genitivus *θεσμῶν* qui adjectivi loco positus est, nonnisi poetae serioris aetatis convenit.

Restat adhuc odarium sextum (*μα'*), quod num huic generi an edylliis istis adscribendum sit dubitari potest; versatur enim poeta in describenda commissatione, ubi roseis coronis cincti jocantur, dum puella, ad barbiti sonum thyrsum gerens saltat, juvenis autem pectida pulsans cantat; ne dii quidem Amor, Bacchus, Venus absunt a commissatione. Quanquam enim describit poeta imaginem, tamen exhortatio quaedam ad commissandum mihi videtur inesse, qua caussa ductus hoc loco odarium addidi. Res ipsa a Graecorum more minime abhorret, modo Xenophontis convivium compares, ubi c. 2, 1 haec leguntur: *ὡς δ' ἀφῤῥέθησαν αἱ τράπεζαι καὶ ἐσπείσαντο καὶ ἐπαιάνισαν, ἔρχεταί τις αὐτοῖς ἐπὶ κῶμον Συρακόσιος ἄνθρωπος ἔχων τε αὐλητρίδα ὀγαθὴν καὶ ὀρχηστρίδα τῶν τὰ θαύμιατα δυναμένων ποιεῖν καὶ παῖδα πάνυ γε ὡραῖον καὶ πάνυ καλῶς κιθαρίζοντά τε καὶ ὀρχούμενον. —. ἐπεὶ δὲ αὐτοῖς ἡ μὲν αὐλητρὶς ηὔλησεν ὁ δὲ παῖς ἐκιθάρισε —.* At quid sibi volunt dii in extrema stropha *κῶμον* sequentes? Duae nobis exstant explicandi rationes, ut aut juvenes deorum personas agentes intelligamus cum Fabri filia, quae nominat „une masquerade", Longepetraeo, Moebio, aut poetam poetico furore abreptum deos advenientes finxisse existimemus, quod Schneider p. 90 primus protulit. Quanquam pro priore explicandi ratione facere videtur ipsum Xenophontis convivium, in cujus fine prodeunt inter commissationem puer et puella Ariadnem et Dionysum agentes, tamen verba *μέτεισι κῶμον* magis quadrant ad deos ipsos descendentes. — Anacreonti ipsi adscribi non posse apparet et ex doricis formis, quibus plurimis usus est poeta: *ἁβροχαίτας*, *ἀδὺ*, *ὀμφὰν*, *χρυσοχαίτας* et ex versu tertio, qui hanc puri ionici a minori praebet formam *⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑*. Accedit quod verba *στομάτων ἁδὺ πνεόντων* cum in universum tum maxime si ad unum juvenem referuntur, inepta sunt.

Jam accedamus ad carmina, in quibus fabularum aut rerum naturae exemplis allatis ad compotandum furendumque excitantur homines. Par carminum nobis occurrit simillimum argumento, quorum utrum ad utrius exemplum compositum sit, maxima inter viros doctos dissensio est. Non enim facile quis assentiatur Longepetraei sententiae, qui de altero carmine haec habet p. 84: „le tour de cette ode est fort heureux et Anacreon l'a trouvé lui même „si joly qu'il s'en est encore servi dans un autre endroit." Pessimi sane poetae est, cumprimum sententiam aliquantulum poeticam aucupatus sit, eam quam maxime exhaurire multisque modis repraesentare. Hic ipse locus nobis documento est, quomodo sententia quaedam ab Anacreonte fortasse proposita ab imitatoribus varie expressa atque repetita sit. Jam argumenta carminum proponamus propositaque comparemus: in carmine decimo tertio (M. *ια'*) sicut Attis Cybeles desiderio rabiosus circumvagatus esse dicatur, alii cumprimum aquam Apollini Clario sacram biberint, furore abrepti vociferentur, sic poeta vino atque amica delectatum furere se velle profitetur.

Ambo exempla ad Asiae oram, ad Ioniam pertinent; alterum ex fabulis desumtum est, alterum poetae quoque aetate evenit. Quare non moleste tulerim quod opponuntur *οἱ μὲν Ἄττιν-λέγουσιν ἐκμανῆναι* et *οἱ δὲ-μεμηνότες βοῶσιν*, quamvis totae enunciationes, non dicentes et furentes opponantur; quod Peerlkamp. conjecit — *βοῶντες θέουσιν ἐκμανῆναι* ad Corybantas totum referens, minime necessarium est neque satis aptum. Wolper fragmenta in hoc carmine suspicatur, quia nimis abrupta sit oratio, sed recte et ex stropharum ratione refutavit Wiedemannus p. 20, qui carmen genuinum esse censet et sententia ipsa absoluta est; amor enim et potus quid ad furorem excitandum valerent, exemplis comprobandum erat, idque factum. Versus optime fluunt; ionicae dialecti formae ubique observatae sunt.

Alterum si pervestigamus carmen tricesimum primum (*M. η'*), in universum quidem magna levitas atque venustas apparet; versus purissimi sunt, repetitum illud *θέλω θέλω μανῆναι*, quod alterum carmen claudit, placet repetitione. Duo exemplorum paria nobis proponuntur; ab altera parte stant Alcmaeon et Orestes, qui propter matris caedem furebant, ab altera Hercules et Ajax, quibus ex telis, quae gerebant, furendi caussa exorta est; alter enim arcum gestabat, quem ab Euryto cum recepisset Iphitus, Hercules eo spoliavit spoliatumque occidit, alter autem quod ab Hectore dono acceperat gladium, ei quidquid adversi perpessus sit imputavit cf. Soph. Aj. 661 squ.:

ἐγὼ γὰρ ἐξ οὗ χειρὶ τοῦτ' ἐδεξάμην
παρ' Ἕκτορος δώρημα δυσμενεστάτου
οὔπω τι κεδνὸν ἔσχον Ἀργείων πάρα,

eodem postea se transfodit cf. v. 817. Alia plane harum fabularum ratio est atque in altero carmine: atrocissima quaeque exempla proponuntur eaque tragoediis maxime usitata: Alcmaeon, Eumenides, Hercules furens, Ajax furens. Ad tragoediam respexisse poetam ex epitheto *λευκόπους* Oresti addito demonstrare studuerunt viri docti: Barnesius quidem discalceatum existimat ob insaniam et quod albis cothurnis ageretur Orestis persona in tragoediis, sed quonam testimonio nitatur non in medium profert: Baxter de pulcris pedibus intellexit, Hesychii loco nisus, qui haec habet: *ἀργυρόπεζα λευκόπους πέζα γὰρ ὁ ποῦς καὶ καλλίπους*; at ne Hesychius quidem *λευκόπους* et *καλλίπους* plane idem esse dicit, sed utrumque in *ἀργυρόπεζα* inesse posse vult. Nostro loco ineptius quidquam dici posse de furente Oreste quam pulcris pedibus uti eum non puto; nihilominus Schrader ad Mus. p. 127 ed. Schaef. ubi de nudis pedibus in sacris usitatis disserit, Baxteri sententiam tutissimam esse profitetur; contra Peerlkamp. p. 176 —187 ad pedum celeritatem Orestis Furiis circumagitati referendum censet, sed *ἀργὸς*, non *λευκὸς* explicavit atque quod *Λευκοθέας* exemplo usus est, novam plane eamque falsam etymologiam protulit. Plurimi interpretes epi-

theton λευκόπους ex Orestis furore explicandum esse recte viderunt; nihilominus in ipso consensu dissensio quaedam est; Mehlhornius cum aliis de nudis pedibus dici putat, quibus utantur furiosi; Welcker p. 288 illud πους in fine positum omnem fere vim amississe statuens (quae attulit exempla λαῖπους, καλόπους, ἀρτίπος, λαγώπους, νόμοι ὑψίποδες, τυφλόπους, θαλίπους, ex iis πους plane otiosum esse minime evincitur) exsanguem, pallidum explicat. Mihi quidem Mehlhornii sententia praeferenda videtur, cum Welckeri non firmis argumentis nitatur. Sed longius jam evagati sumus ex eo, quod nobis aut comprobandum aut abnuendum proposuimus, num in λευκόπους igitur certum quoddam tragoediae vestigium appareat, quod etsi negare debemus, nihilominus tragoedias poetae obversatas fuisse ex ipsis exemplis allatis verisimile est. Atque nimia concinnitatis consectatio, quae in paribus heroum afferendis, in tota carminis dispositione apparet, aliena est ab Anacreonte, cui ne illos quidem versus: ἐγὼ δὲ μηδένα κτὰς, πιὼν δ ἐρυθρὸν οἶνον satis ineptos adscripserim; in universum enim fabulas illas cruentas, quae nisi maximam commiserationem non movent, in lusu quodam Bacchico afferre potius grammatici esse quam poetae lyrici, ad carmen XX (κβ') perspeximus. Quae cum ita sint, abjudicare carmen Anacreonti cum Wolpero et Wiedemanno non dubito repugnante Welckero, qui in carmen XIII omnem imitationis culpam contulit, et Mehlhornio, qui in Anthol. lyr. p. 6 secundo, quem constituit, carminum ordini adscripsit; forsitan utrique carmini genuinum Anacreontis carmen suppositum fuerit, quod imitatores varie exornarint; nihilominus carmen XIII semper si cum carmine XXXI comparamus, majoris antiquitatis palmam feret.

Ex rerum natura potare licere comprobat odarii undevicesimi (κα') auctor; cum terra bibat, terram bibant arbores, mare auras, sol mare, solem luna, quidni liceat poetae quoque bibere? Primo quidem aspectu continua videtur rerum sese excipientium series, sed versu tertio ab arboribus statim transit poeta ad auras, aut, si Mehlhornii conjecturam sequimur, ad torrentes, quibus alatur mare. At num Anacreontis aetate haec tota de sole humidum mare bibente atque luna lucem a sole mutuante doctrina non modo a philosophis prolata erat sed etiam ad populi notitiam pervenerat, quam in levi odario commemoratam statim intelligerent homines? Minime gentium, duobus fere seculis post ex Stoicorum ore prodiit cf. Cic. de nat. deor. II, 15 (Cleanthes Stoicus profert): „cum sol igneus sit Oceanique alatur humoribus." Plut. de facie in orbe lunae c. IV p. 940 ed. Fr., ubi lunae naturam a sole plane diversam esse profitetur, haec addit: πέφυκεν (luna) ἀλλὰ καὶ τὴν ἀπ' ἐκείνου θερμότητα καθυγραίνειν καὶ καταψύχειν προσπίπτουσαν αὐτῇ καὶ συμμιγνυμένην; non ita multo post: καὶ γὰρ αὐτὴν τὴν σελήνην ὥσπερ τὸν ἥλιον - ἀπὸ τῶν ὑγρῶν φασὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς τρέφεσθαι. Quid autem neptius cogitari potest quam philosophorum locos citare, qui multis seculis post Anacreontem vixerunt, pro

genuino autem venditare hoc odarium, quod fecit Schneiderus? Pawius spurium judicavit carmen sed caussas non addidit, contra eum tuetur Peerlkampius p. 167 locis illis non inspectis. Mehlhornius Anth. p. 14 inter ea reponit, quae aut breviora sint quam ut certo de iis judicari possit, aut plus minusve a genuinorum simplicate et poetica vi recedunt. Si verba carminis spectamus et articulus ante *μέλαινα* omissus et *αὐτὴν* pro *γῆν* positum, praesertim cum nulla caussa adsit, ut terram *ipsam* disjungamus a rebus, quae conjunctae sunt cum ea, boni scriptoris atque poetae non est.

§. 4.

Carmina in quibus, quae senem delectent res, proponuntur.

Anacreontem usque ad summam senectutem carmina Amorum Bacchique plena pepegisse et ex fragmentis apparet cf. fr. XV. LXX et totius antiquitatis acclamatione confirmatur, non enim facile alium finxerunt et statuarii et poetae Anacreontem nisi senem cf. Welck. Cens. p. 150. Observations on the figures of Anacreon and his dog communicated by Samuel *Birch* Esq. Lond. 1845. Quare quod inter Anacreontea quoque exstent, quae senem Anacreontem jocantem nobis proponant, non mirabimur. Ea autem in omnibus fere inest sententia, ut quo propius quis absit a morte, eo magis vitae deliciis gaudere debeat.

Primum huc referendum est carmen undecimum (M. ς′), quod propter *ἀφέλειαν* illam *λόγου* et jucunditatem non quaesitam inde a Stephano vel omnium et criticorum et poetarum laudes tulit. Proponuntur mulieres Anacreonti objicientes, quod comis jam destitutus sit calvaque facta frons. Crines sese non curare respondet, sed id unum spectare ut seni eo magis jocandum sit, quo propius a morte absit. — Quanquam neque dialecti ratio neque metri impedit, quominus ad Anacreontem ipsum referamus, tamen res universa tantum proposita est; nihil ad vitam ipsam poetae, ad opprobrium ab amata puella factum pertinet; alia plane est genuini fragmenti XV ratio, ubi Lesbia puella *τὴν-κόμην, λευκὴ γὰρ καταμέμφεται*; neque sentiendi ratio convenit ei poetae, qui fr. XLI ejulare se Tartarum metuentem profitetur. Quae cum ita sint, ex bona admodum aetate originem traxisse carmen existimo, non ex Anacreonte ipso. Caveamus enim oportet ne cum Welckero Cens. p. 303 nostrum carmen post Palladae epigramma A. P. XI, 54 ponamus nulla alia de caussa quam hac: *„denn das Epigramm ist die herrschende Dichtart der spätern Zeit.“* Illud enim aperta imitationis vestigia praebet: *τὸ τερπνὰ παίζειν* magna verborum turba augetur ut fiat: *εὐόδμοις δὲ μύροισι καὶ εὐπετάλοις στεφάνοισι καὶ Βρομίῳ παύω φροντίδας ἀργαλέας.*

Non minus venustum quam quod tractavimus odarium, est tricesimum quartum (*μϑ'*). Fugiens puella donaque oblata cavillationibus persequens ut fugere cesset, precatur poeta; sicut enim apte lilia rosis misceantur, sic convenire albos capillos puellae comis admixtos. Puellae fugientis imago saepe in fragmentis nobis proponitur, comparatur aut cum pullo equino frena non ferente aut cum hinnuleo metu fugiente. Illud *διώκειν δῶρα*, quod difficultatem maximam praebet, Mehlhornius quidem ea quam supra proposui ratione explicavit, sed si verbi usum spectamus in iis locis ubi de amantibus dicitur, notio plane contraria existit cf. Bion Ep. Ad. 53: *ἃ δὲ τάλαινα ζώω - καὶ οὐ δύναμαί σε διώκειν* Maced. A. Pal. V p. 158. n. 247: *καὶ φεύγεις φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκεις*. Quare potius Hermanni conjecturam *διώσῃ* acceperim. Comparatio illa cum coronis ex rosis et liliis sertis mirum quantum venustatis continet; eandem adhibuit Goethius in praeclara, quae praeposita est Hermanni et Dorotheae carmini, elegia:

„Aber Rosen winde genug zum häuslichen Kranze
„Bald als Lilie schlingt silberne Locke sich durch."

Metrum summa arte compositum est Anacreonteque dignissimum. Jam offendunt nos doricae formae et atticae: *τὰν πολιὰν ἔϑειραν* et *ὥρας*. Inde nè hoc quidem carmen Anacreonte dignissimum serioris aetatis correctiones effugisse apparet.

Idem accidit praestantissimo carmini tricesimo octavo (*με'*), quod restitutum debemus Caroli Lachmanni sagacitati. Quod Bergkius p. 225 praejudicio quodam in Anacreontem invectus hanc quoque cantiunculam pessimam dixerit non curantes, eam perlustremus. Senex quamvis sit, tamen plus se juvenibus potare profitetur poeta; si saltandum sit, Silenum se culeum gestantem imitaturum esse; repudiat ferulam ebriis usitatam, puerum poculum afferre jubet. Magna vis in toto carmine inest; celeriter sententiae se excipiunt; videmus oculis ipsum senem ebrium. Silenus culeo nisus huc maxime facit, quemadmodum antiquissimis imaginibus fingitur cf. Mueller Archaeol. p. 577. Quin Anacreontis ipsius statua, quae exstabat in Acropoli Atheniensi Pausaniae aetate cf. Pausan. I, 25. *καὶ οἱ τὸ σχῆμα ἐστὶν οἷον ᾄδοντος ἂν ἐν μέϑῃ γένοιτο ἀνϑρώπου* ad hujusmodi carmen efficta videtur. Logaoedici versus apte dimetrorum iambicorum strophas claudunt neque verborum formae ab ionica dialecto abhorrent. Quin externis quoque testimoniis Anacreontis nomen huic carmini inscriptum defenditur; Hephaestio enim p. 30 ed. G., Plotinus de metr. p. 1462 ed. Putsch., Schol. Au. Plut. 302 versum septimum et octavum ad Anacreontem referunt.

Ut antecedens carmen Anacreonti summo jure vindicare videbamur, sic tricesimum sextum (M. *ν'*) spurium esse facile probabimus. Objicit poeta cuidam, quod rhetoricas leges atque artes docere studeat; potius bibere

ludereque cum Venere docendum esse. Oratione plane interrupta crines jam canos esse dicit; quare puer vinum et aquam miscere ad animum exhilarandum jubetur, cum mox moriendum sit neque mortuus quidquam expetat. Miror quod nullus editorum diversa plane carmina conjuncta esse viderit: in priore enim rhetoricis legibus opponuntur bibendi ludendique leges; in posteriore ad potandum sese excitat poeta quod mox moriturus sit. Ipsa stropharum ratio pro mea sententia pugnat, cum enim ex quaternis versibus constiterint duae, quae antecedunt strophae, repente quinque versus ultimae strophae sunt, quorum nullus omitti potest. At utrumque carmen ab Anacreonte abjudicandum est; in altero rhetorum leges potius grammaticum quam poetam redolent, quo vel saeculo posterius primus exstitit Gorgias orator. Tum quid ἁπαλὸν πῶμα sit non intelligo; mutandum esse dicerem in ἁπαλοῦ πῶμα Ἀναίου cf. od. 8, 8, nisi ex χρυσῆς quoque quam inepte epithetis usus sit grammaticus iste homo scirem. Melioris notae est alterum fragmentum, quod ad poeticam artem pertinet; sed illud κάραν statim nonnisi seriori aetati adscribi posse documento est cf. Eust. p. 1193 ed. Rom: ἡ δὲ κάρα τῶν νεωτέρων ἐστί.

Quod paucissimis versibus constat carmen quadragesimum septimum (M. λζ'), num, si sententiam spectamus, Anacreonti adscribi annon possit, difficile dijudicaris. Amare se dicit poeta et senem jocantem et juvenem saltantem; utrumque conjunctum in sene saltante, qui crinibus senex, animo juvenis sit. Eadem plane inest sententia in Plauti Mil. Glor. III, 1: „si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio est senex," sed hoc nihil ad antiquitatem eruendam confert, cum res ipsa facta utriusque poetae animo obversaretur. Etiamsi χορευτάν cum cod. Palatino mutemus in χορευτήν, tamen restat illud ἄν atticum pro ἐάν, ἤν positum, quod num apud ionicos scriptores inveniatur valde dubito. Accedit quod τερπνός hoc loco non de ea re aut persona dicitur, quae aliis delectamento est, sed quae ipsa gaudet atque delectatur; nihilominus prior illa atque usitata notio in nostro quoque loco inest, cum senex, qui laetatur, gratum praebeat aliis aspectum. Quare odarium, potius fragmentum cf. Wolper p. 21. Mehlh. h. l. hac quidem forma ad Anacreontem auctorem referri non posse existimo.

Saltantis quoque senis imago proponitur nobis in carmine quinquagesimo quarto (M. να'), quod quodammodo ad breve illud carmen magis explicandum amplificandumque compositum videtur esse. Sententia enim haec est: quoties amatum Cybeben juvenum turbae miscere se videt, ad saltandum excitatur senex; exspectari ipsum ab amato puero, coronas afferri et vini poculum jubet, ut quivis videat senem et in dicendo et in bibendo et in furendo expertum. Oratio nimis abrupta est; cum Cybeben allocutus sit versu quinto, in sequente statim illud παραδὸς ad ministrum pertinere videtur, quemadmodum φερέτω. In postrema denique stropha iterum ad ὄψη perso-

nae significatio deest, quod quanquam non inusitatum, tamen hoc loco, ubi plures hujusmodi res conveniunt, offendit. Accedit quod dorica forma ionicis intermixta est cf. v. 2: ἦβα, neque ille vocativus *Κυβήβα* Anacreonti convenit, qui vocalem primae declinationis non corripit cf. fr. VI: *Σμερδίη* XXV: *καλλιλαιπέτη* LXXIX: *Θρηκίη*. In versu septimo, ubi ἑκὰς antecedentem syllabam producit, poeta consilio pristinam loquendi rationem imitatus videtur esse, quanquam ex usu quotidiano jam dudum digamma aeolicum evanuerat. Ad seriorem aetatem sine dubio referenda est notio in simplici verbo *πτεροῦμαι* posita, cujus loco compositum *ἀναπτεροῦμαι* in usu fuit cf. Aesch. Choeph. v. 227. Mehlh. An. p. 68. Forsitan obversatum sit poetae Anacreontis fragmentum, cujus alia plane vis est atque contentio cf. fr. XXII:

ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις
διὰ τὸν Ἔρωτα.

Cap. II.

Carmina quae ad epigrammatum idylliorumque naturam accedunt.

Dum in altero carminum genere quae sentiat ipse poeta, magis elucet indeque num Anacreontis ingenio ac moribus conveniat carmen, facilius dijudicari potest, in eo, quod nunc nobis tractandum est, ad poetae personam cognoscendam imagines ipsae propositae nihil conferunt. In universum id quidem tenendum est, lepidum hoc carminum genus, in quo acumen quoddam ingenii, non elatus poetae animus apparet, plane ab Anacreonte abhorrere neque ante Alexandrinorum poetarum florem ponendum esse; quin permulta Juliani Justinianique tempore ex epigrammatibus solutis exorta videntur cf. Herder in diariis, quae inscribuntur: *Liebhaber der schönen Wissensch. p. 64: „ein scherzhaftes Epigramm, das vom Wein oder von „der Liebe einen artigen Einfall vorträgt, kann man durch den Schwung „des kurzen Silbenmasses gar bald in eine Anakreontische Ode verwandeln.“* Accedit quod pingendi ars, quae Anacreontis tempore vix ex primis rudimentis emersit solumque in deis effingendis versabatur, cum ex deorum templis in privatorum hominum aedes, ex deorum severitate ad res humanas lususque lepidos descendisset, ansam saepissime praebuit Anacreonteis illis pangendis. Nihilominus non omnis plane auctoritas his Anacreonteis abjudicandâ est; cum restet carmen ab scriptoribus ad Anacreontem relatum, quod in describendo quodam artificio versatur; sed ex eo ipso quid differat genuinus Anacreon a suppositiciis elucebit.

§. 1.

Carmina in quibus certae quaedam imagines describuntur.

In odario septimo decimo (γ′), quod invenitur et apud Stephanum et in codice Palatino et in Anthologia Graeca XI p. 48 et apud Gellium XIX, 9, Hephaestum jubet poeta non arma ipsi parare, sed poculum profundum exornare caelandis non astris quidem, sed effingenda vindemia, in qua Amor una cum Bathyllo racemos in torculare calcans proponatur. Summa inest in carmine simplicitas, atque venustas, quae augetur, modo Homerici loci meminerimus, quem sine dubio poeta respexit. Sicut enim Hephaestus Thetide jubente Achilli *πανοπλίαν* fabricatur Il. XVIII, sic nunc cratera fabricari jubetur a poeta; quae apud Homerum caelando effinxerat v. 486: *Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε τό τε σθένος Ὠρίωνος Ἄρκτον τε*, ea potandi amantissimus poeta repudiat, contra quod describit Homerus vinetum in scuto caelatum v. 560 — 573, id poetae odarii gratissimum est. Optime autem quid epico, quid lyrico poetae agendum esset, perspexit Anacreon: cum enim Homerus in describendo scuto, in describendis singulis rebus ut vineto cum summa diligentia versetur, ut poeta interdum suam artem pictoris arti postposuisse videatur, pauca sufficiunt lineamenta in odario ad poculum describendum, sed ea, quibus summam inesse voluit vim, vini amorisque significationem. Quare Gellii lectio, quam recepit Mehlhornius, codici Palatino praeferenda videtur, qui versus quosdam addidit non necessarios. In eo quoque carminis antiquitas apparet, quod non artifex quilibet, sed deus Hephaestus fabricare jubetur, cum arte humana talia effingi non posse viderentur. At nonne Gellii testimonio obstent res quaedam internae, quominus ad Anacreontem referamus carmen, videamus. Primo adspectu offendunt illa: *τορεύσας ποίησον;* quid enim? num argentum caelatur, prius quam quid inde efficiamus, sciamus? Crediderit Mehlhornius, ego nunquam; potius duo verba arctissime conjungenda sunt neque praeteriti actio in aoristo premenda est; tum omnia bene quadrant. Quod alterum suspicionem movere potest, *πανοπλίαν* aut consilio poetae positum est sicut fr. XXVIII *αἰχμάν*, fr. LXXIV: *μεναιχμάν* aut librariorum socordiae debetur cum antiquissimae Gellii editiones praebeant *πανοπλίας*.

Quo jure septimum decimum carmen Anacreonti adscribamus, magis etiam elucebit, modo quod statim sequitur carmen (M. δ′) consideremus. Nobis quoque secundum ea, quae supra de metris protulimus, cum Tanaq. Fabro consentiendum erit, cujus verba haec sunt: „qui existimarunt hoc odarium esse Anacreontis, alibi animum occupatum habebant, qui non viderint, omnia in numeris soluta, neglecta esse.“ Atque imitationem esse antecedentis carminis omnes uno consensu editores declaraverunt; sententiae enim eodem plane ordine observato procedunt, verba ipsa saepe eadem

sunt. Nihilominus cum quid pretii tribuendum sit odario spectandum sit, accuratius et argumentum et dicendi rationem pervestigemus. Artifex veris poculum caelare jubetur; jam ver quippe quod rosas afferat celebratur. Redit poeta ad poculum iterumque poculum caelari jubet, accuratius quid caelari velit descripturus; repudiat enim quidquid alienum sit a potatione et fabulas cruentas, sed Bacchum, Venerem, Amores, Gratias, juvenes pulcros, Apollinem sub vitibus ludentes effingi vult. Inepte plane poeta oppositionem illam, quae non ad *κύπελλον* sed ad *ἔαρος* pertinet, in tertio quartoque versu accusativo casu extulit; accedit quod verborum positio ipsa perplexa plane atque confusa est. Quibus caussis motus Fischer aliam explicandi viam ingressus est, pendere enim putat illum accusativum ex *τόρευσον = ποίησον κατ' αὐτὸ τὸ κύπελλον Ὥρην* „pergit enim poeta in emblematico opere designando. Inde intelligi potest poetam voluisse ut caelator illigaret in poculo signum Veris solidum, non item reliqua emblemata.“ Unde solidum Veris signum ad cratera affixum habeat Fischer plane non intelligo. Atque in sequentibus primum quid non sit caelandum enumerat; tum demum quid sit caelandum profert; quare ne ineptissimo quidem poeta dignum est, si jam quid caelandum sit, partim pronunciaverit, praecepta interponere, ne aliae res caelentur. Immo poeta iste antecedentis carminis vestigia arctissime premens primum de poculo in universum locutus est, tum ad ea quae non caelanda essent transiit. Verba illa *πότον* pro *πότηριον* et *ἱστόρημια* nonnisi medio aevo in usum venerunt. Epithetis deos cumulavit poeta sine omni consilio. Quid pulcri juvenes sibi velint in deorum societate plane non apparet. Atque facere non potuit poeta, quin Phoebum commemoraret, etiamsi in extremo quasi agmine poneretur. Longum est singulas ineptias diligentius enumerare in carmine, quod ut omnino sub examen vocetur, dignum non est.

Prodit iterum par carminum XXVIII et XXIX (*ιέ* et *ις'*), quae quanquam in describenda imagine versantur, quam pingere jubetur artifex, tamen secundum picturam ipsam jam confectam expressa videntur. Priusquam quae inter utrumque intercedat ratio consideremus, quid ex pingendi ratione, quae commemoratur, eluceat ad carminum antiquitatem firmandam, videamus.

Encausta intelligi et ex versu XXVIII, 8: *ὁ δὲ κηρὸς ἂν δύνηται* et ex versu XXVIII, 34: *τάχα κηρὲ καὶ λαλήσεις* et ex XXIX, 25: *τὸ δὲ πᾶν ὁ κηρὸς αὐτὸς ἐχέτω λαλῶν σιωπῇ* satis apparet. Atqui ceris pingere et picturas inurere, etiamsi Plinio teste jam a Polygnoto exerceretur haec ars, tamen post ipsum demum Graecarum artium florem apud Thebanos Sicyoniosque artifices in usum venit cf. Mueller Arch. p. 135. 433; Pausias primus pueris, animalibus, floribus pingendis excelluit, neque prius encausticae artis

locus erat, quae maxime valet in coloribus variis ac vividis, priusquam ex deorum imaginibus, quae non colorum varietate sed formarum magnitudine atque gravitate excelluerunt, ad res humanas easque pusillas descenderet ars pingendi. Quin aliud quoque vestigium exstat, quo tempus accuratius definiamus; dicitur enim artifex *Ῥοδίης κάρανε τέχνης*. Ars igitur ceris pingendi Rhodia vocatur secundum disciplinam quandam artificum. Quanquam Rhodios per longum temporis spatium floruisse constat pingendi statuasque effingendi arte cf. Pind. Ol. VII, 50 squ. — *αὐτὰ δέ σφισιν ὥπασε τέχναν πᾶσαν ἐπιχθονίων Γλαυκῶπις ἀριστοπόνοις χερσὶ κρατεῖν. ἔργα δὲ ζωοῖσιν ἐρπόντεσσί θ' ὁμοῖα κέλευθοι φέρον*, tamen post Protogenem demum, Apellis aequalem et gloria Rhodiae artis aucta est et encaustica ars exculta cf. Od. Muell. Arch. p. 138. Quae cum ita sint, non jam num Anacreonti ipsi adscribantur carmina quaeremus, sed quaenam inter carmina non ante quarti seculi initium confecta intercedat ratio. Injuria Mehlhornius p. 248 contra Wolperum majorem carmini antiquitatem vindicat, quod 1) si ars pingendi excultior fuerit, tum non *Ῥοδίη τέχνη* in universum dixisset poeta, 2) quod ars pingendi jam dudum inventa fuisset, cum Mileti excidium pingeretur a Bularcho; plane enim quae pingendi ratio esset non respexit. Lindau p. 21 cum de pictoribus Rhodiis intelligi non posse, si Anacreon scripsisse diceretur carmen, videret, potius ad statuarios confugit, qui plane locum non habent, modo carmen accuratius inspicias, quam ut Anacreonti abjudicarit odarium. In odario vicesimo octavo pictorem pingere jubet amicam absentem, qualis sit describens poeta: capillos nigros, molles, myrrhum redolentes, frontem candidam, supercilia leviter conjuncta, cilia curvata, oculos igneos, glaucos, suffusos, nares atque genas lacteas, rubro mixtas, labra ad osculandum invitantia, sub ubere mento Gratias in collo ludentes, vestem purpuream eandemque Coam. Jam ipsam puellam conspicere sibi videtur poeta, quare ne porro pingat, monet. Summus ordo, summa simplicitas in ipsa descriptione apparet; nihil contorti; nihil tumidi inest; duo tantum exstant loci, qui interpretibus difficultatem parabant. Alter est versus decimus *ἐξ ὅλης παρειῆς*, quem varie expedire studuerunt viri docti. Fischer imaginem obliquam intelligit, qua integra altera mala appareat „cum hac mala conjungi frontem quam maxime vult, ut frons scilicet fiat „ampla et porrecta." Optime Peerlkamp. p. 172 refutavit Fischeri sententiam cum propter sequentia cf. v. 23 tum propterea quod tenuem frontem, non magnam in pulchritudinis loco ponebant Graeci. Mehlhornius Zeunii sententiam Vig. p. 602 paullum immutatam amplexus p. 249 sic vertit: „inde ab ea parte ubi integra depicta gena desinit." Neque minus displicet qua Richter p. 69 vertit ratione: *„Ist die Wange dann vollendet."* In universum genae commemoratio mihi aliena videtur ab hoc loco, quo poeta a crinibus ad frontem devenit, genas multo inferius v. 22 commemorans.

At genam ipsam describere non vult poeta, sed quae totius faciei positio sit distinctius significare, quod, cum primum frontem describeret, dicendum erat. Si picturas ipsas accuratius intueare, ut picturas a Tornite factas, Zahnii Pict. et Ornam. poetam amatae faciem non totam atque integram, non plane quod nos dicimus *en face*, sed aliquantulum aversam repraesentare voluisse ut altera gena integra, altera partim appareret, videbis. Ceterum offendit forma *παρεία* attica pro ionica *παρήϊον*. Alter locus est v. 17: *βλεφάρων ἴτυν κελαίνην*, in quo Stephanus nihil nisi circumscriptionem inesse censet pro oculis in universum; sed modo ipsa verba premamus, poetam et supercilia coeuntia et ciliorum orbem nigrum disjunxisse apparebit; quare aut cum Bothio et Peerlkampio copula inserenda aut asyndeton cum Fischero statuendum erit. Sed laturis de toto carmine judicium ante omnia id tenendum est, poetae non in animo fuisse puellae ipsius pulcritudinem describere, tum enim non multum abesset a Constantini Manassae ineptiis aut Ariosti tumore, quorum uterque cum puellam describeret quam accuratissime, omnem plane vim in animo commovendo amisit cf. Lessing. Laokoon XX; optime quid sibi voluerit poeta perspexit Lessingius eodem loco: *„Seine „(des Dichters) Absicht ist nicht, dass wir in dieser mündlichen Direction „des Malers die ganze Schönheit der geliebten Gegenstände erkennen und „fühlen sollen; er selbst empfindet die Unfähigkeit des wörtlichen Aus„druckes und nimmt ebendaher den Ausdruck der Kunst zu Hülfe, deren „Täuschung er so sehr erhebt, dass das ganze Lied mehr ein Lobgedicht auf „die Kunst, als auf sein Mädchen zu sein scheint.“* Quare quamvis apte ac venuste poeta descripserit imaginem, tamen majore mihi laude dignus videtur esse artifex, cujus imago poetae obversabatur oculis.

Alterum carmen, quod inscribitur *εἰς νεώτερον Βάθυλλον*, 29 (*ις'*) ne ab ipso Cephala quidem Anacreonti adscribi ex titulo elucet. Sine dubio statua praeclarissima Bathylli quae Sami erat poetae obversabatur; accuratissimam ejus descriptionem invenies apud Apulej. Flor. II, 15. Forsitan Bathyllum illum pantomimum, qui Augusti aetate floruerit, celebrare in animo erat, ut Augusto gratiam ferret. Pictor Bathyllum pingere jubetur, qualem describit poeta a crinibus incipiens usque ad femora descendens. Dolet quod dorsum pingere non possit pictor, nihilominus quamcunque velit mercedem promittit. Jam adspicit Apollinis imaginem in officina pendentem; statim in Bathyllum ut mutetur, exoptat. Eundem plane ordinem sequitur poeta atque qui in antecedente carmine exhibetur, nisi quod minus pudice ad inferiores corporis partes describendas transit. Luculentissima imitationis vestigia apparent, modo compares v. 2.: *ὡς διδάσκω* et 29. 4: *ὡς ἂν εἰπώ*, v. 3. 4: *λιπαρὰς κόμας — μελαίνας* et 28, 7: *τρίχας-ἁπαλάς τε καὶ μελαίνας*, v. 18. 19: *ῥοδίνην-παρειήν* et 28, 23: *ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας*, v. 24: (*χεῖλος*) *γέμον τε πειθοῦς* et 28, 24: *γράφε χεῖλος οἷα Πειθοῦς*

v. 25: ὁ κηρὸς αὐτὸς ἐχέτω λαλῶν σιωπῇ et 28, 34: τάχα κηρὲ καὶ λαλήσεις. v. 29: ἐλεφάντινος τράχηλος et 28, 27: περὶ λυγδίνῳ τραχήλῳ. Pluribus verbis, quae simpliciter dicta sunt, circumscribere solet hujus odarii poeta; undecunque potest pulcherrimas partes conquirit; ex hac ipsa re carmen non antea compositum esse apparet, quam per longum artificum usum singula quaedam attributa singulis diis adhaererent. Sic Mercurius posteriore tempore statim manuum dexteritate cf. Mueller Archaeol. p. 560, Pollux femorum vigore Mueller p. 653, Bacchus alvi mollitie Mueller p. 568 agnoscebatur. Quanquam in universum ionica dialecto utitur poeta, tamen seriores quaedam formae extant cf. v. 17: κρεμιᾶται pro κρεμιάηται, κρεμιέηται ionicis formis, quae ipsae quidem pro κρέμηται ex κρέμαμαι deducto seriore aetate in usum venere cf. Mehlh. Anthol. lyr. p. 85; v. 31: Ἑρμιοῦ pro Ἑρμέω. Imitationem igitur habemus carminis non genuini eamque non invenustam plane, sed tumidam atque quaesitam. Pauca tantum moneantur opus est de alia carminis vicesimi octavi imitatione, quae reperitur in odario XLIX (M.κδ'+). Artifex audire lyricae Musae Bacchique sonos jubetur, quibus excitatus depingat et civitates festivas et amantium modos. Omnia soluta atque disjuncta sunt; nihil absolutum; quid librariorum culpae, quid poetae tribuas difficile dijudicaveris. Λυρικὴ Μοῦσα nonnisi serioris aetatis scriptori convenit; ineptissime enim poeseos genus ad deam transfertur, praesertim cum Bacchus φιλοπαίγμιων appositus sit. Versus primus ex od. 28, 1 desumtus; inde a versu quarto usque ad finem poeta plane od. 28, 6—9 imitatus est. Omnes igitur editores hoc odarium Anacreonti abjudicarunt uno consensu.

In describenda quoque imagine versatur carmen XXXV (M.νβ'). Puero imaginem, qua taurus mulierem portans mareque secans fingitur, adspicienti, non alium esse posse nisi Iovem ipsum Europam portantem enarrat poeta. Summa inest simplicitas in odario, quod fragmentum esse cum Hermanno Degenio aliis nunquam crediderim, sententia enim absoluta plane est; neque jejunum illud atque frigidum, quod Wolperi p. 20 bilem movit, invenire possum. Sine dubio ad eam aetatem pertinet odarium, qua epigrammata in Anacreontea mutari coepta sunt; nam ad Anacreontem hoc simplex describendi genus non pertinere quivis videt. At non plane cum Herdero Annot. ad Graec. Ep. p. II. p. 152 facio, qui unam illam sententiam, in qua epigrammatis summa insit (*Pointe*), plane desiderat eamque his versibus adjici posse censet:

Ach, es ist Jupiter selbst! Die Liebe wandelt der Götter
Gott zum Thiere; wie oft hat sie es Menschen gethan!

Contra in extremis versibus ea expressa est sententia ad quam omnia tendunt: quamvis nihil nisi taurum conspicias, tamen potentissimi dii in eum mutati vestigia non plane absunt.

In disco argenteo describendo versatur carmen quinquagesimum primum (M. *νς'*), quod pessimo serioris aetatis poetae adscribendum esse omnia probant primum enim quae disco insculpta erat imago Veneris nudae natantis, quam circumdent Amores in delphinis equitantes piscesque saltantes, nonnisi ad Romani imperii tempus pertinent, quo his maxime lusibus Amorum gaudebant nobiles Romani; tum quod in describendis imaginibus gravissimum est, ut distincte singulae res disjungantur neque epithetorum aut comparationum tumore tegatur interna rerum confusio, id minime nostro poetae tribuendum est. Quamquam enim v. 10 dixit *ὅσα μὴ θέμις δ' ὀρᾶσθαι μόνα κῦμα συγκαλύπτει* et aliis ex locis apparet, quid illud *ὅσα μὴ θέμις* sit cf. Parmen. Anth. Plan. IV. p. 691 n. 216: *θνητοῖς κάλλος ἔδειξε ὅσον θέμις· αἱ δ' ὑπὸ κόλποις ἄγνωστοι μορφαί.* Democr. A. Plan. IV, p. 680. n. 180: *στέρνα μόνον φαίνουσα τὰ καὶ θέμις,* tamen v. 19 inter collum et pectus jam undam incidisse enarrat. At maxime in versibus 11—16 eruendis laboraverunt viri docti, plerumque frustra, cum ne poetae quidem, quid sibi voluerit, distincte animo obversatum esse videatur. Ingeniose quidem Mehlhornius versu transposito rem ita enucleavit: „in undas musci superne albi instar ad eam adludentes corpus inclinans dissecat teneris manibus ante se fluctum;" nihilominus consentire non possum, nunquam enim *πλοῦν-ἁλαλημένον* = undas alludentes conjungi possunt, cum in *πλοῦς* certae cujusdam directionis significatio insit, cui repugnat *ἁλαλημένον*; tum *βρύον-ὕπερθε λευκόν* vertit muscum superne album, unde oppositio plane inepta nascitur, ut Venus quoque superne tantum candida fuerit cf. Richter p. 147; potius ut v. 5 *ὕπερθε* pertinet ad *χάραξε*, sic hoc loco necessario ad *ἁλαλημένη* refertur. Atque quod gravissimum est, quaenam existit Mehlhornio auctore comparatio? Mare ipsam alludens comparatur cum alga superne natante; Venus natans cum mare, quo alga fertur. Non facile magis contortam ineptamque comparationem excogitaveris. Simpliciter ut infra cum lilio violis intermixto sic hoc loco Venerem cum alga supra mare natante comparavit poeta. Quo plura autem participia cumulavit ad imaginem accuratius describendam, eo plus lucis imagini detracta est. Vix opus est animos advertamus ad ineptissimum initium, ad repetitum *ἄρα τις*, ad *μανεῖσα τέχνα*, ad *νόος ἐς θεοὺς ἀερθείς*, unde quid pretii carmini tribuendum sit colligamus. Tertio loco qualis fuerit poeta ex doricis formis ionicis sine ordine intermixtis cf. v. 2. 5. 6. 8. 9. 12. 22. satis elucet. Cumulus quasi ad haec omnia accedit, quod vocales *α, ι, υ* pro lubitu aut corripiuntur aut producuntur cf. v. 5. 8. 15. 25. Vox *παλάμη* neque in universum de manu dicebatur, neque ancipitem vocalem *α* habuit nisi seriore aetate cf. Sophr. Od. IV, 10: *παλάμας*. v. 65. 79. V, 75. VII, 64. 78 ap. Ang. Mai. Spic. Rom. t. IV. Quae cum ita sint, non ante Georgium Pisidem, apud quem primum hanc licentiam in usurpandis syllabis ancipitibus reperimus, carmen ponendum est.

§. 2.

Carmina in quibus res poetis maxime sacrae celebrantur.

Non facile quid inveneris, quod poetarum Graecorum maxime serioris aetatis laudem saepius tulerit quam rosa Veneri Bacchoque sacra. Quare quod inter Anacreontea reperiuntur, quae eam celebrent, non mirabere. Primum huc pertinet carmen quintum (M.*μβ'*), in quo Bacchum celebrantes cantu ac lyra potantesque ut roseis sertis coronentur, cohortatur poeta; rosa enim deis grata est, rosa cingitur Amor cum Gratiis saltaturus: rosa igitur coronatus ad Bacchi templum cum puella saltare poetae in animo est. Media stropha laus rosae continetur; in prima et tertia, ad quam rem roseis coronis cingi se velit, demonstrat. Mirum sane est, quod poeta in tertia stropha primae plane oblitus de saltatione ad templum Bacchi instituenda loquitur, cum antea de commissatione dixerit; neque satis apte invocatur Bacchus deus v. 13, quem v. 2. pro vino positum esse intelligamus opus est. In prima stropha inveniuntur iidem fere versus qui in sequenti odario 6 (*μα'*), quod non sine caussa in utraque editione aut antecedit aut statim sequitur: *τὸ ῥόδον — κροτάφοισιν ἁρμόσαντες*, et 6, 1: *στεφάνους μὲν κροτάφοισι ῥοδίνους συναρμόσαντες*; v. 1: *πίνωμεν ἁβρὰ γελῶντες*, et 6, 3: *μεθύομεν ἁβρὰ γελῶντες*. Quaeritur igitur utra imitatio sit, an utrumque carmen ad exemplum antiquioris compositum fuerit, quod verisimillimum videtur, cum neutrum carmen satis antiquum sit. Offendimur ut in carmine sexto Dorica dialecto, sic in quinto metrica ratione: et anacrusis ordine non observato contrahitur v. 2. 3. 12; et puri iambi anaclomenis miscentur v. 2. 9. 14. 15., et v. 13 in vocabulo *Διόννσε* iambus solvitur in anapaestum. Quibus caussis motus Wiedemannus p. 13 fragmentorum farraginem esse existimat, quae ut conjungerentur, versum duodecimum interjectum esse; ultimos quatuor versus a reliquis secernendos esse. Ipse jam prioris fragmenti ordinandi novam viam iniit, cum has strophas efficeret v. 1. 3. 6. 7. 2. et v. 9. 10. 11, 4. 5. Duo fragmenta, potius duas sententias e diversis carminibus petitas conjunxisse grammaticum ineptum non negaverim, neque tamen transponendi videntur versus: et secunda stropha plane absoluta est, continet enim laudem rosae, et prima.

Fuse rosa in carmine quinquagesimo tertio (M.*νγ'. νδ'*) celebratur; quidquid ad eam efferendam pertinebat, conquisivit poeta conquisitaque sine ordine conjunxit. In principio sodalis ut adjuvet poetam in rosa celebranda excitatur; tum rosa ipsa et deorum flatus et hominum gaudium dicitur, quippe quae et Gratias ornet una cum Amoribus, Veneri Musisque gratissima sit, et homines quoties quis in semita spinosa invenit manibusque continuit, magnopere delectet. Eundem florem in epulis ac festis Bacchi diebus adhiberi, eodem uti poetas in praedicandis diis Aurora, Nymphis, Venere, cun-

dem succurrere morbo correptis moribundisque, ne senescentem quidem rosam odore carere. Adjungitur fabula illa venusta de rosae ortu, secundum quam quo tempore Venus e Ponto, ex Jovis capite Minerva prodiit, Terra genuit rosam a diis nectare aspersam. — Quanquam in codice Palatino post versum undevicesimum alterum incipit carmen idque plurimi editores receperunt, tamen eadem plane utriusque natura est: interrogationi illi: *δίχα τοῦ ῥόδου γένοιτ' ἂν* sequentia plane respondent, ut unum sed amoebaeum carmen esse cum Dacierio, Longepetraeo existimaverim, cujus altera pars post v. 19 incipiat. Facile apparet totum carmen nihil esse nisi centonem variis ex odariis conquisitum, ineptiarum plenissimum. Aliter statuit Moebius p. 112 ed. pr., qui poetam ob miram dulcedinem imaginum et elegantiam sententiarum laudat. Veris, quocum celebrare vult rosam poeta, commemoratio plane nulla fuit; atque illud *μετὰ* cum genitivo hoc loco positum a Graeco usu abhorret. Quomodo rosa *θεῶν αἴγμα* dici poterat? *Μύθοι* in *μέλημα μύθοις* nihil significant nisi mythographos. Languidius quidquam non excogitaveris, quam versus 11—16. Quanta verborum turba simplicem illam tenendi notionem circumscribit poeta! Non facere non potest grammaticus iste quin poetas se legisse quoque exemplis illis probet; sed illud *παρὰ* non bene cum vere Graecam linguam novisse documento est. Quin ad medicam artem v. 24 nos ducit. Audacius quam aptius rosarum senectutem olere dicit. Jam taedet plures afferre ineptias. Metrum nihil offensionis praebet, sed dialectus dorica, cujus vestigium exstat v. 22. *Ἀφροδίτα*, et attica cf. v. 6. 10. 12. 17. 18. 22. Accedit quod alliterationis exempla plurima adsunt.

In vere celebrando par carminum versatur od. XXXVII (*μδ'*), et fr. III (*λϑ'*), quorum neutrum Anacreonti adscribi potest, alterum vero ad extrema corruptae Graecae linguae tempora pertinet. Priore carmine poeta animum auditoris ad singulas res, in quibus veris pulcritudo appareat, advertit: „vere aperto Gratiae rosis scatent, mare temperatur, volucres volitando delectantur, sol fulget, nubes dissipantur, hominum labores rustici conspiciuntur, vites fronde ornantur, inter frondes ex ramis pendent flores.“ Posteaquam in universum de Gratiis locutus est, primum mare, tum coelum, denique terram considerat. Carmen simplex idemque venustum est; non in communibus locis commoratur poeta, statim singulae res proponuntur. Nihilominus non difficultatibus caret carmen; ultima enim stropha duobus versibus longior quam antecedens est, quare Mehlhornius v. 9 et 11 ejici voluit. Ego quidem quomodo v. 9 et v. 10 consocientur non video; quid enim? num eodem tempore, quo terra aratro diffissa fulget, terra fructuum multitudine opprimi potest? Atqui verno tempore fructuum multitudo plane non adest: neque omnino terra pondere oppressa incurvatur, sed aristae frugibus graves ad terram demittuntur. Quare non v. 9 mihi removendus videtur, sed v. 10,

quod jam proposuit Schneider p. 174, Richter p. 142 caussis confirmavit. Degen p. 53 quatuor ultimos versus suppositicios esse censuit, Wolper p. 20 ex duobus fragmentis compositum esse carmen statuit, quorum alterum versu 9 finatur. Mirum sane est, quod unusquisque ex ultimis versibus difficultatibus laboret, cum in antecedentibus plurima bene se habeant. Illud ἔλαμψεν in v. 9 offendit, cum jam in v. 7 de Sole dictum sit. Tum καρπός, utrumcunque versum aut v. 10 aut v. 11 servamus, in sequentibus versibus iterum obvenit. Forsitan in repetitione vis quaedam orationis quaeratur. Neque crediderim v. 9: τὰ βροτῶν δ' ἔλαμψεν ἔργα ab infimae aetatis grammaticis aut a librario additum esse, cum Homerica quaedam simplicitas, Homerica verba ut ἔργα de agris quamvis quaesita inveniantur. Accedit quod, si sequentes versus spectamus, antea de terra magis in universum quam de olea et vino dicendum videatur, non statim de nubibus ad arborum frondes transiliendum. Ex his caussis non v. 10, sed v. 11 servandus videtur: optime oleae mentio fit praeter vitem, quippe quae in Graecia tota maxime Attica coleretur summa diligentia; tum demum προκύπτειν vim propriam servat, emicat enim atque progerminat ex frondibus, quasi ex fenestra prospiciat, fructus. Neque metrum offendit, modo cum Richtero p. 143 ionicam formam ἐλάης pro ἐλαίας intulerimus; prima enim arsis interdum solvitur cf. od. 27 (μιζ): τοῦ Διὸς ὁ παῖς ὁ Βάκχος. At restant tres ultimi versus, qui num restitui possint desperandum videtur. Ne Mehlhornii quidem interpretatio: „redeuntem Bromii succum per folia et palmites concipiens vel cohibens efflorut vitis" accipi potest; primum enim Βρομίου τὸ νᾶμα de vino ipso dicitur, cf. Ar. Eccl. 14, non physice de succo in ramos redeunte; tum καθελὼν non convenit fructui sensim concipienti succum; postremo καρπὸς nunquam vitem in universum significat. Quin quaeritur etiam, num fructus florere dici possit, nisi per prolepsin satis audacem. Novam viam interpretandi ingressus est Lindau, qui locum sic constituit:

καρποῖσι γαῖα κύπτει
καρποὺς ἐλᾷ ἐλαιάς.
Βρόμιον στέφει τὸ νᾶμα
καὶ φύλλα κἄτα κλῶνας
καθελὼν ἔφυσε καρπούς.

Ut simplex verbum κύπτειν inusitatum, ut hiatum in ἐλᾷ ἐλαιάς praetermittam, quid ex tribus ultimis versibus factum sit, videamus. Primum Βρόμιος nude positus est pro vite ipsa, non pro vino in universum, quod sane ferri potest; tum illud νᾶμα refertur ad guttas succi, quae verno tempore ex ramis proveniunt; jam vitis plane mutata est, frondes enim et rami repentino tantopere creverunt, ut circumcidendi sint; quod qui fecerit, fructus genuit i. e. ut maturescere possent, effecit. Cum Boeckhium V. Ill., cujus bene-

volentia quantopere in me redundet, nulla oblivione exstinguetur, de hoc loco consulerem, sic locum constituit:

Βρομίου στέγων τὸ νᾶμια
κατὰ φύλλον κατὰ κλῶνα
σταφυλῶν ἤνθισε καρπός.

Illud *στέφεται* propter metrum jam ferri nequit; facile in codice nihil legebatur nisi *στεφ-* aut *στεγ-* in quo librarii *στέγεται* inesse putarunt. Tum *καθελὼν* explicari plane non potest; quaeritur autem cujus rei fructus intelligatur hoc loco; *σταφυλῶν* duas tantum litteras diversas habet *ς* et *ν*, *θ* enim et *φ* eadem fere forma scribuntur. At ex his omnibus utrum genuinum annon sit carmen, plane non apparet; librarii potius quam scriptoris culpae hae difficultates tribuendae sunt. Recte; praetermissis igitur quatuor versibus qui aut a librariis aut a poeta ita corrupti sunt, reliquos percenseamus. Miror quod nemo editorum offensus est vocabulo *Τιτάν* Solem significante. Quanquam enim secundum Hesiodum Hyperion, secundum alios Sol ipse inter Titanes Gaeae Uranique filios numeratur, tamen apud Latinos demum poetas cf. Virg. Aen. III, 119 Sol Titan *κατ' ἐξοχήν* non alia significatione adjecta dicitur; inde ad Graecos poetas usus translatus videtur esse. Omnes enim Graecorum poetarum loci ad multo seriora tempora pertinent cf. A. Pal. App. Ep. p. 880 v. 394 (ex Adriani aetate) *Τιτὰν ἐλάων λευκοῖσι — ἵπποις.* A. P. XIV. p. 566 n. 72 (ex Rufini aetate): *ἀνέχῃ δρόμιον ὄρθρια Τιτάν.* Synesii A. P. App. Ep. p. 789 n. 92. Ejusd. hymn. V, 21: *σοὶ μὲν Τιτὰν ἱππεύει ἠοῦς ἄσβεστος παγά.* h. IX, 38: *τὰν εὐρυφαῆ κόμαν Τιτὰν ἐπετάσσατο.* Quare nullo pacto ante secundum post Christum natum seculum referre possumus carmen Atticis etiam formis notatum cf. v. 7: *ἀφελῶς.* 8: *νεφελῶν.* 12: *νᾶμια.* Mehlhornius Anth. p. 30 haec non curans secundo distributionis suae ordini carmen adscripsit.

Alterum quo ver celebratur carmen fr. III. (λϑ'), pertinet ad id medii aevi tempus, quo neque prosodiae neque quantitatis quae dicitur syllabarum curam habebant poetae, sed nihil spectabant nisi ut certum quendam syllabarum numerum servarent atque accentus in penultima poneretur cf. Henrichs. de pol. vers. p. 37. Carminis sententia non inepta est quamvis obscoena, neque ab ionica dialecto descivit poeta. Quam pulcrum sit describit ambulare in pratis Zephyro afflante, conspicere vites crescentes, sub frondes labi puellam tenentem.

Huc pertinet vindemiae descriptio, quae exhibetur carmine LII (M. νη'). Initium plane deest, neque tamen periisse dixerim in tali odario: ad imaginis enim exemplum compositum videtur; sine dubio versus Homeri Il. XVIII, 560—575, maxime 567—68: *παρθενικαὶ δὲ καὶ ἠΐθεοι ἀταλὰ φρονέοντες πλεκτοῖς ἐν ταλάροισι φέρον μελιηδέα καρπόν* poetae obversabantur. Prodeunt juvenes cum puellis racemos ferentes, quovis in torculari calcantur racemi; hymnis

celebratur Deus. Jam quam vim exerceat vinum ex sene saltante juvenisque lasciviis demonstrat poeta. Plurimi editores spurium esse carmen judicarunt recte, omnia enim quaesita atque inepta sunt. Neminem fugiet participiorum multitudo quibus temporis ratione plane non habita res aliae aliis annectuntur; sic unum *πατοῦσι* praecedunt *φέροντες*, *βαλόντες*, subsequuntur autem *λύοντες*, *κροτοῦντες*, *ὁρῶντες*; tum ad *θέλγει* v. 19 *λοχήσας*, *μεθυσθείς παρθένον-χυθεῖσαν-βεβαρημένην*. Poetae haec imputanda sunt, qui describendi studiosissimus id tantum spectavit ut ad unum substantivum quam plurima epitheta adjungeret. Accedit quod inepte deus ipse cum re confunditur, cui praeest cf. v. 10 v. 23.

Multo magis poeticum spirat ingenium carmen quinquagesimum (M. *νε'*), quo Bacchus descendens ad vites servandas vindemiamque celebrandam nobis proponitur. Ut genuinum esse carmen comprobet Welcker p. 270, affert locum ex Him. Or. IV. p. 458 cf. Bergk. An. fr. CXL, ubi haec leguntur: *οἵους ποιηταὶ πολλάκις εἰς ἀνθρώπων εἴδη μορφάς τε ποικίλας ἀμείβοντες πόλεις τε εἰς μέσας καὶ δήμους ἄγουσιν Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ ἀνομίην ἐφέποντας οἵαν Ὅμηρος μὲν Ἀθηνᾶν; Διόνυσον δὲ Ἀνακρέων Εὐριπίδης τε ἔδειξαν*. Sed qua necessitate locus huc referatur non video, id enim ipsum, in quo apud Himerium summum momentum inest, deos hominum formis indutos inter homines versari, nostro loco plane non commemoratur. Imo aperta serioris aetatis vestigia apparent: lusus ille verborum *πόνοις, πόθοις, πότοις* grammaticum decet, non Ionicum poetam; tum illud *τελεῖν* = efficere nescio quid inusitati habet; tum participia duo *κομίζων* et *φυλάττων* quid sic conjuncta sibi velint, non perspicio; non enim *πότον* aliud quid esse existimabimus atque *τὸν οἶνον*; quomodo autem et ferre et servare latum uno tempore potest deus? Offendunt quoque multa epitheta undique conquisita, quibus vinum exornatur. Neque fugiet ullum pluralis *ὀπῶραι* = uvae rarissime adhibitus cf. Longus IV, 39. Ne metrum quidem recte se habet: in versu octavo syllaba longa pro brevi requiritur. Postremo et *φυλάττων* et *ἔτους* ionicae dialecto non conveniunt. Hoc igitur caussarum exercitu Anacreontis nomen facile ex hac sede quam Welcker servare ei studuit, propelletur.

Longe praestantissimum restat carmen XLIII (M. *λβ'*), quo cicada Graecis, maxime Atheniensibus gratissima celebratur idque praeclara Goethii versione nostrum paene factum est. Argumentum hoc est: cicada felix praedicatur, quod in summis arboribus rore recreata canat, quod omnia ei aperta sint, quod et agricultoribus et hominibus in universum grata sit, quod et a Musis et ab Apolline amata cantu donetur, quod senectutem non noverit, ad divinam paene felicitatem accedat. Sententiae ipsae optime sese excipiunt; primum regalis quaedam potestas ei tribuitur, quia ex summis arboribus omnia videat visitareque possit. Quae nonnullis offensionem praebebant

verba *βασιλεὺς ὅπως ἀείδεις*, ea optime a Goethio versa explicataque sunt: „*singend wie ein König lebest.*“ Tum ad amorem atque honorem, quo apud homines fruatur, transit poeta; jam deorum gratia eam cumulat; postremo loco ponit, quod senectutem non novit cicada, quod Graeci semper pro summo felicitatis fastigio habebant. Jam ex antiquissimo tempore Graeci poetae in praedicandis cicadis versabantur; tria maxime de iis commemorantur, primum quod in summis arboribus sedent cf. Hom. Il, *γ*, 151: *τεττίγεσσιν ἐοικότες οἵτε καθ' ὕλην δενδρέῳ ἐφεζόμενοι*, Hes. Sc. Herc. 394. Meleagr. A. P. VII. p. 362. n. 196, 3: *ἄκρα δ' ἐφεζόμενος πετάλοις*, Nic. A. P. l. l. n. 200, 4.: *ἐπὶ χλωρῶν ἑζόμενον πετάλων*, Pamph. n. 201, 1.: *χλωροῖσιν ἐφεζόμενος πετάλοισιν*, Pisand. de anim. propr. p. 237 ed. St: *δένδροις ἐφιζόμενον*; tum quod clara voce canunt et mane et in medio aestu cf. Hom. Il. *γ*, 152: *ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσιν*, Mel. A. P. VII. p. 362. n. 196. *ἀγρονόμαν μέλπεις μοῦσαν*, A. P. l. l. n. 197: *λιγυρὰν-μοῦσαν ἐνείην*, n. 201: *ἁδεῖαν μέλπων ἐκπροχέεις ἰαχάν*, proverbium *τεττίγων λαλίστερος* Tzetz. Chil. VIII, 66 squ. IX, 998 squ., postremo quod nulla alia re nisi rore nutriuntur cf. Hes. Sc. Herc. 394, Mel. A. P. VII, n. 196. 1: *δροσεραῖς σταγόνεσσι μεθυσθείς*. A. P. IX. p. 130. n. 373, 2: *δροσερῶν ἕλκετ' ἀπ' ἀκρεμόνων*. v. 8: *φύλλων καὶ χλοερῆς τίς φθόνος ἐστὶ δρόσου*, IX. p. 32. n. 92: *ἀρκεῖ τέττιγας μεθύσαι δρόσος*. Quare cum jam ab antiquissimo tempore non solum cicadae laus sed certae quaedam dicendi formulae in poetarum ore essent, difficile, quid jam priore, quid posteriore tempore ortum sit, dijudicaveris. Decantare quidem cicadam minime absonum erat ab Anacreonte, praesertim cum diu apud Athenienses moraretur, qui cicada quasi indigenarum signo utebantur. Neque quod Mehlhornius p. 35 objecit, altius assurgere spiritum, quam pro aliorum Anacreonteorum simplicitate, et ad hymni similitudinem accedere, comprobare possum; non enim cum ceteris Anacreonteis, sed cum genuinis fragmentis comparandum erit carmen, quae maxime hymni altissime elatum spirant ingenium. Dialectum ionicam ubique observatam invenies, neque syntactica ratio contorta aut obscura est; recte illud *ἀπὸ μηδενός τι βλάπτων* explicavit Mehlhornius eadem ratione atque XVI (*κς'*), 7: *ἀπ' ὀμμάτων με βάλλων*. Pisander hunc versum respexisse videtur cf. de an. div. cic. v. 17: *βλάπτοντες ἔρνους οὐδὲν ἢ πόης. φυτόν*. Compositum illud *ἀναιμόσαρκε* cum Mehlhornio servaverim, quanquam disjuncto verbo *ἄναιμ' ἄσαρκε* optime quadrant, neque quod Mehlhornius contradixit cicadas *ἀσάρκους* veteribus non dici, verum est cf. Apollon. A. P. IX. p. 90 n. 234: *ἀσάρκου νῶτ' ἐδουνακεύσατο*. Si metrum spectamus, duo versus sese excipientes liberiore primae arseos solutione utuntur; alter enim sic incipit: — *ύυ*, alter *υυύυ*. Utrum hoc Anacreonti ipsi tribui possit annon, non dijudicarim, quanquam praestantissimum carmen non ideo spurium videtur.

§. 3.

Carmina quibus lepidae quaedam enarrationes continentur.

Maximam partem haec carmina in enarrandis Amoris dolose factis versantur, qui cum primum ex adulto juvene, ex potente omnesque vincente Veneris comite factus est parvulus, agitatus, aureis sagittis atque pharetra instructus, dolosus, inconstans, fallens Alexandrinorum maxime poetarum auctoritate cf. Mosch. Id. I, 18—23. A. P. IX. p. 157. n. 404, largissimam praebuit epigrammatum scriptoribus materiem. Modo pugnat Amor telis, modo fraude opprimit deos, modo venditur a Venere, modo floribus tegitur, modo flores decerpens sauciatur. Easdem plane res in Anacreonteis reperies enarratas, quae quidem omnia quamvis lepida sint ac venusta, tamen ex hac ipsa causa Alexandrinorum poetarum aetatem non attingunt. Iam singula percenseamus: primum nobis obvenit carmen tertium (M. λα'), ubi media in nocte Amor ad poetae fores pulsare fingitur querens quod imbre obrutus per noctem vagetur; face accensa cum aperuerit portam poeta, parvulum alatum, sagittis instructum fovet ad aram appositum; jam puer arcum quasi exploraturus, num quid ex imbre detrimenti ceperit, tendit sagittaque in hospitis pectus conjecta quod ille pectore laboret, arcus bene se habeat, laetatur. Alacris ac vivida est rerum descriptio; conspicimus ipsi puerum fessum, fores pulsantem, videmus exsultantem eundem; simpliciter omnia enarrata sunt, in qua re summa carminis posita est sententia, Amorem non nimis attente caveri, cum vel eos, qui bene de ipso meruerint, fallat, verborum turba non circumscripsit poeta, res ipsae loquuntur. At et in verborum usu et in dialecti ratione satis multa serioris aetatis vestigia, quae Mehlhornium Anth. p. 21 non offendisse miror, apparent: ὥρας horas dici Xenophontis uno loco comparabatur cf. Mem. IV. ἄστρα ἐν τῇ νυκτὶ ἀνεφάνησαν ἃ ἡμῖν τὰς ὥρας τῆς νυκτὸς ἐμφανίζει, quare omnes fere interpretes offendit; tum aoristus passivi ἐπισταθεὶς pro ἐπιστὰς positus nonnisi recentioris aetatis est. Quae maximam virorum doctorum suspicionem excitarunt verba θυρέων ἔκοπτ' ὀχῆας, Peerlkampius p. 129 et Mehlhornius p. 126 simplicissime explicaverunt: „una cum foribus tusis etiam repagula quatiuntur." Atticae formae inveniuntur hae: v. 1: ὥραις. v. 24. πειράσωμεν. v. 32: καρδίαν, neque genitivum pronominis αὐτὸς = is positus v. 20 ad Anacreontem pertinere existimo.

Quod sequitur carmen septimum (M. κθ') nobis describit cursus certamen inter Amorem et poetam factum: cum poeta baculo stimulatus paene currendo exstinctus sit, Amor alis pulsans nondum amare cum posse dicit.

Inventio Longepetraeo p. 56 praeclara videbatur, Lessingii laudes tulit, Welckerum comprobantem habet, qui, si a grammatico carmen citatum esset, vel inter genuina carmina maxime excellere dicebat. Schneider p. 283 squ.

de somnio intelligendum esse censens, ut multa inveniantur Petrarcae carmina, allegorice intelligi vult amorem non expletum. Somnium ei concesserim, Anacreontis esse allegoriam non, quippe qua nihil languidius, nihil magis a poesi alienum est. Mihi res ipsa nimis quaesita videtur; quonam consilio concurrerit deus cum homine non apparet; ex cursu ipso amor agnoscitur, ex difficultatibus bene superatis; comparatur igitur amantis vita cum cursu per diversas difficultates dirigendo; jam allegoriam habemus Schneideri. Quare quanquam et dialectica et metrica carminis ratio bene se habent, tamen carmen ab Anacreonte plane abjudicandum videtur.

Simili ratione pedibus certantes videmus poetam cum Amore in carmine XLIV (ϰη′) sed hic poeta ipse nihil esse nisi allegoriam explicatione addita prodidit; somnio autem, quod sane usitatum est serioribus poetis, rem vestivit. Hic poeta alatus praecurrit; Amor autem plumbo pedibus affixo persequitur persecutusque eum attingit. Cui non in mentem venit claudicantis poenae, quae maleficum etiamsi sero attingat? At quidnam inesse voluit poeta in somnio? Sese, posteaquam multos amores feliciter evasit, uno implicari (τῳ δὲ enim cum Pawio et Mehlhornio scribendum videtur, cum certi cujusdam amoris non meminerit poeta neque satis conveniat allegoriae). Alae alteri affixae, alteri plumbum quomodo significent poetam multos amores effugientem, longa demum consideratione instituta intelligimus. Quod Mehlhornius Anth. p. 89 plumbo amori affixo firmiter adhaerere eum significari putavit, plane ab hoc loco alienum, ubi celeritas fugientis opponitur tarditati persequentis. In verbis ipsis vestigia quaedam serioris aetatis exstant: διολισθάνειν enim nonnisi atticorum est Rost. Gr. Gr. p. 258, neque πόδισκος alias invenitur; accusativus cum infinitivo με - διολισθάνειν mire post δοκέω positus est sine ulla oppositione. Nemo igitur ab Anacreonte ipso carmen ortum esse existimabit.

Ad praeclarae imaginis Pitt. Erc. III, 7. O. Mueller Arch. p. 590, quam descripsit Goethius carmine: „*Wer kauft Liebesgötter*“, similitudinem compositum videtur decimum carmen (ι′), in quo juvenis Doriensis Amorem cereum, quocum diutius vivere non vult, vendit poetae, qui deum, nisi statim ipsum inflammet, igni admotum liquefactarum se esse minatur. Sententia sane venusta atque simplex est; Doricae dialecti usus nobis arridet in eo juvene, qui ab Amore abhorret; nihilominus omnia pertinent ad seriorem aetatem, qua lepidissima epigrammata pangebantur. Primum enim cereae statuae num Anacreontis aetate in usu fuerint. quaeritur; cerae apud Graecos in imaginibus effingendis non magnus videtur fuisse usus neque nisi ad puerorum lusus pertinuisse cf. Luc. somn. 2. Accedit quod in ipso Graeciae flore statuae deorum in templis quidem praeclarissimae erigebantur, sed privatorum hominum aedificia iis carebant; postea demum factum est, ut simulacra in immensum augerentur omniaque iis implerentur. Tum carmen

ad eam aetatem referendum videtur, ubi dialecti jam desierant in populi ore vigere, lepidique quid atque inusitati in Dorica dialecto inesse putabatur. Postremo loco mira illa confusio notanda est, qua tum ceream imaginem tum deum ipsum intellexit poeta. Comparare licet Meleagri lepidissimum epigramma n. XCV ed. Graef., quo mater Amorem parvulum dormitantem in ejus sinu vendere constituit, sed precibus, quominus faciat impeditur.

Pugnae cum Amore initae imaginem nobis praebet carmen quartum decimum (M. *ιβ'*). Amare paratus est poeta, cum quid valeat repugnans animus contra Amorem expertus sit; posteaquam enim Amor pugna inita frustra omnes sagittas projecit, sese ipse in cor immisit. Certamen quidem cum Amore initum ab Anacreonte maxime alienum est, qui fr. LXI apportari sibi jubet vinum atque coronas *ὡς μὴ πρὸς Ἔρωτα πυκταλίζω*, et quod ad explicationem attinet, potius a Welckeri partibus steterim, qui longius productam atque languidam esse censet, quam cum Mehlhornio Richteroque p. 136 Anacreonte dignissimum carmen judicare. Epica enim gravitas atque dicendi copia, comparatio cum Achille ad pugnam ineundam armis se instruente instituta, totum certamen nihil nisi lusum quendam lepidum esse comprobat, qui ab Anacreontis ingenio fervido Amoris vim magnopere experto alienus est. Singula verba bene se habent; ionicae formae ubique adhibitae; neque pluralis atque singularis numerus vere commutatus est in his: *τί γὰρ βάλωμιεν ἔξω μάχης ἔσω μ' ἐχούσης;* dicit enim poeta, quid ambo pugnemus extrinsecus, cum in me ipso insit pugna. At miror, quod neminem offendit v. 15: — *ἑαυτὸν ἀφῆκεν εἰς βέλεμνον*, nisi *ὡς βέλεμνον* scribimus; in brevius contracta oratio est, proprie enim tum dicendum erat: in sagittam mutabatur mutatusque adversarium feriebat.

Quae restant carmina ad Amorem ejusque res factas pertinentia, haec omnia serioris aetatis manifesta documenta prae se ferunt; parvulum enim nobis produnt deum; res ipsae omnes ex epigrammatibus desumtae sunt. Tricesimum carmen (M. *ιϑ'*) nobis proponit Amorem a Musis coronis cinctum traditumque Pulcritudini, a qua non jam discedat etiamsi non coactus. Summis laudibus etulerunt Faber, Schneider, Degenius inventionem, sed quo jure non intelligo. Recte allegoria detracta Mehlhornius hanc sententiam invenit: Amorem ab initio rerum rudem et obvia quaeque appetentem cultiore facta litteris hominum vita pulcritudinis vim cognovisse et hujus regno coercitum pulcra tantum sectari. At quemnam hominem decet haec sententia allegorice prolata nisi grammaticum? Accedit, quod *Κάλλος* numen a veteribus Graecorum mythis plane alienum est; nam Veneris ipsa summa Pulcritudo est, disjuncta ab ea cogitari non potest; abstractum nomen neutrius maxime generis divino honore exornare ex Romanorum ingenio ac moribus fuit, nunquam Graecorum qui non notiones quasdam universas sed distinctas hominum imagines in divino honore habebant.

Inde apparet carmen nonnisi grammatici esse, qui libere in mutandis novisque fingendis deis versabatur, quos jam nemo colebat. Mehlhornius Anth. Lyr. p. 13 inter genuina carmina retulit.

Multo melioris notae est, quanquam Alexandrinorum aetatem redolet, carmen quadragesimum (M. λγ'), in quo eadem plane res atque in Theocriti idyllio ιθ' enarratur. Amor enim cum apicula in rosetis occulta digito punctus esset, clamans ad matrem festinat, moriturum se profitens, quod ab angue parva alata violatus sit. In Veneris responso, quo apiculae aculeus comparatur cum Amoris sagittis, summa demum carminis inest. Quanquam summis semper laudibus cumulatum est carmen cf. Longep. 204: „de toutes „les odes d' Anacreon voicy celle qui m'a toujours le plus touché. — La „fiction en est toute ingenieuse et toute charmante, l'expression delicate et „fine-enfin ce n'est que graces et que beautez;" tamen summa dissensio inter viros doctos est, utrum carmen utri praeferendum sit; Pawius enim et Welcker p. 302 Theocriti odam praeferunt, Mehlhornius p. 25 cum reliquis antiqua simplicitate et venustate Theocriteo Anacreonteum longe praestare dicit. Videamus ipsi: dum Amor in Anacreonteo apiculam in rosa invenit, apud Theocritum ceram ex cellis furaturus fingitur, quare jure punctus videtur esse apicula; tum in Amoris querelis apud Theocritum optime opponuntur *τυτθὸν θηρίον* et *ἁλίκα τραύματα ποιεῖ*, ubi Anacreonteus ille commoratur in lepida apiculae descriptione nihil opponens; denique in iis quae respondet Venus, apud Theocritum comparatur parvulus Amor cum parva apicula, in Anacreonte gradatio fit ex apicula ad Amorem. In universum quidem omnia apud Theocritum magis presse atque concise dicta sunt, compares modo paucissima verba: *δεῖξεν τὰν ὀδύναν* cum Anacreontei Amoris oratione:

ὅλωλα μῆτερ εἶπεν
ὅλωλα κἀποθνήσκω
ὄφις μ' ἔτυψε μικρός etc.

Non facile autem poetae imitantes longum carmen in brevius contrahunt, sed in elaborandis amplificandisque sententiis sibi placent. Quae major simplicitas ac venustas reperitur in oratione directa, qua usus est poeta Anacreonticus in enunciationibus brevibus, ea Anacreonteorum universae naturae metrique rationi imputanda est. Quibus causis Anacreonteum ad Theocritei exemplum compositum esse statuerim a poeta lepido, qui quae unicuique poescos generi quadrarent, bene discrevit. Quin in verbis ipsis eorumque formis serioris aetatis vestigia insunt: primum illud *ποτεῖν* eodem loco duplici notione dictum et activa et neutrali v. 14. 15 offendit; tum consilio doricae quaedam formae inspersae sunt ad sales orationi addendas.

In Hephaesti officinam Lemniam inducimur carmine quadragesimo quinto (M. κζ), ubi Hephaestus Amoris tela ex aere fabricat, Venus cuspi-

dem melle, bile linit Amor; Marti ex pugna redeunti invidentique parva tela Amoris Amor ea tradit, ut num levia sint experiatur; jam Mavors ridente Venere sub teli pondere gemens reddere cupit sed frustra; tenere cogitur. Telorum Amoris igne et melle tinctorum saepe mentionem faciunt poetae Alexandrini cf. Mosch. Id. I, 29: *τὰ γὰρ πυρὶ πάντα βέβαπται*, Meleag. n. 17 ed. Gr.: *πυριβλήτους εἶχε Πόθων ἀκίδας*, n. 18: — *δυσέρωτες — τοῦ πικροῦ γευσάμενοι μέλιτος*, n. 50: *τί ξένον εἰ βροτόλοιγος Ἔρως τὰ πυριπνόα τόξα βάλλει καὶ πικρὰ γελᾷ; οὐ ματὴρ στέργει μὲν Ἄρη, γαμέτις δὲ τέτυκται Ἀφαίστου κοινὰ καὶ πυρὶ καὶ ξίφεσιν;* Scite autem poeta omnia disposuit, ut imago existeret venustissima; bene opposuit quae opponenda erant ut *στιβαρὸν δόρυ* et *βέλος Ἔρωτος*; enunciationes simplicissimae, plerumque non conjunctae mirum quantum venustatis toti carmini tribuunt. At haec ipsa omnia non ad Anacreontem, sed ad Alexandrinum poetam pertinent, quem produnt formae atticae ionicis intermixtae cf. v. 2: *λημνίαις*. v. 3: *βέλη*. v. 4: *ἐποίει*. v. 14: *ὑπεμειδίασε;* neque metricam illam difficultatem, quae v. 6 vocali *υ* ante λ in *γλυκύ* producta existit, conjectura solverim; potius poetae ipsi tribuenda videtur, qui secundum Homeri exemplum in arsi produxit longam syllabam, praesertim cum accentu notaretur.

Ad quamnam aetatem hujusmodi carmina pertineant, manifesto nobis demonstrat odarium quinquagesimum nonum (M. *ε*), quod in codice Palatino Juliani Aegyptii nomine inscribitur atque in Anthologia Planudea cf. Jac. A. P. II p. 743 septuaginta Juliani carminibus antecedit; ejusdem enim generis argumentum, eadem sententiarum simplicitas, eadem dicendi levitas inest. Quod ad argumentum attinet, quale in Nicetae Eugeniani imitatione III, 140—45 perhibetur, praeplacet mihi; non enim apte Julianus rem ita fingit, ut ipse Amorem agnoverit agnitumque poculo injecerit, cum qua caussa motus fuerit nesciamus; sciebat enim poeta quid inde oriretur. Contra apud Nicetam Amorem, qui culicis instar in poculum irrepserat, inscius bibit poeta; bibisse se eum ex internis sentit.

Huc quoque pertinet quod vulgo adscribitur Theocrito idyllion λ′, sed a Wartonio primo tum ab omnibus fere editoribus inter Anacreontea relatum est. In Adonidis fabula versatur, quae posteriore tempore, cum deorum cultus ex oriente terra petitus sensim cum graeco coalesceret, maxime excolebatur et in monumentis sepulcralibus Romanorum effingebatur cf. Welcker in Annali del instit. di corr. archeol. t. V, p. 155; sed facile tum demum odarium esse compositum apparet, cum genuina fabula, secundum quam aper in venatione irritatus vel Mars amore Veneris flagrans apri forma induta Adonida a Venere dilectum morsu interfecit, nimis esset trita novaque inferre studerent et poetae et pictores. Non jam obruit venanti Adonidi aper, non ira et odio agitatus eum dilacerat; sed amore flagrans adspicit, adspectum basiari studet, basiando interficit. Quantam vim exerceat in bestiis maxime

feris amor, proponere vult poeta; quare in media imagine ponitur aper, ab Amoribus deductus, timide procedens, ei obviam est Venus increpans verbis; Adonidis corpus prospicitur in imaginis extrema parte. Quare in odarii initio maxime festinat poeta; num Venus diu quaesiverit amatum, quas querelas in adspiciendo Adonidis corpore profuderit, non enarrat; nihil curat, nisi ut aper quam celerrime in scenam prodeat. Nihilominus vituperandus est poeta, quod τὸν ἴν quasi notum induxerit, cum in antecedentibus nulla ejus significatio insit; non enim vulneris in femore mentionem facit, sed crinium et genarum pallidarum, ex quibus de interfectione nihil sequitur.

In apri responso inest quoque quod offendat, v. 28 enim: ἀλλ' ὡς ἄγαλμ' ἐσεῖδον, sive illud ὡς ἄγαλμα ad aprum refers, qui in Adonide conspiciendo defixus simulacrum quasi factus est, sive quod mihi praeferendum videtur, ad Adonida, qui requiescens simulacro dei aut herois praeclaro similis erat (nos quoque dicimus „*bildschön*" de re pulcherrima) cum sequenti: καὶ μὴ φέρων τὸ κᾶτμα non arte cohaeret, non interni enim illius caloris, sed admirationis solius mentio facta est. Duo postremi versus plane inepti sunt; primum enim quid sibi velint, non apparet; quinam enim sunt οἱ Ἔρωτες, quos urit aper? iidem esse non possunt atque qui in toto carmine Veneris famuli commemorantur. Alii dentes ἐρωτικούς intelligunt, alii corpus totum ab amore correptum. Nihil autem ineptius quam eosdem et deos agentes inducere et iisdem allegorice pro re plane diversa uti. Quin versus supervacanei sunt; aper, cui Venus indulsit, non jam naturam suam secutus in silvam redit, sed mitigatus Venerem comitatur; haec amoris vis est. Jam imperfecto significatur non de re semel facta sed de vitae consuetudine loqui poetam. Accedit quod in codice quodam vetere desunt hi versus cf. Kiessl. ad h. l. Quare carmini et ipsi novitio adsuta videntur a poeta magis imperito. Metrum non offendit, sed si dialectum spectas, formae doricae ionicis admixtae sunt: v. 3: στνγνὰν χαίταν. 4: ὠχράν. 8: ὕλαν. 17: Ἀφροδίτα. 43: ὕλαν. 31: φιλᾶσαι. 6: τώς. 25: τώςδε τὼς κυναγώς. 42: τῶδε et v. 1: Κυθήρη. 16: Κυθήρην. 14: τοῖσι. 30: τὸν=ὅν. 26: σεν. 33: μεν. Quae cum ita sint, certo non ante quartum aut quintum p. Chr. n. seculum ponendum est odarium, quod facile secundum epigramma, cujus naturae tota sententia plane respondet, pangebatur.

Non ab re egisse videar, si hoc loco odarium eroticum inseram a Cramero Anecd. Paris. IV, p. 380 primo editum, tum ab Hermanno Epit. d. metr. p. 174 squ. ed. II. et Bergkio Lyr. Gr. p. 759 squ. repetitum, quod secundum metri rationem, de qua supra disputavimus, non ante sextum aut septimum p. Chr. n. seculum compositum esse apparet; nihilominus et Anacreonteorum idylliorum naturam ac simplicitatem plane redolet et quomodo a posterioribus Anacreonteorum poetis priorum inventa poetica adhibita sint declarat. Argumentum hoc est: medio in fluvio conspicit poeta Amorem

cum Naidibus ludentem; fluvius autem puerum ex undis abigit, ne inflammetur. Jam poeta Amorem prendere prensumque juvenibus monstrare cupit, sed frustra. Aufugere Amor jocans illudensque; tum fundere vocem dulcem ad desiderium excitandum, tum manum igneam movere, tum ventu celerius aufugere tum super poetam persequentem salire, usque dum fatigatus ille a persequendo cesset. Jam rosis jactatus poeta ad summam rabiem inflammatur; quin Amor in arboribus procedens serta demittit, denique in silvam opacam ingressus jaculum tendit in poetae medium cor. Sodales ut auxilium ferant remediumque amoris dicant, excitantur. Cum absentiam nolit poeta, aliud ei subdunt socii, noctes cum Achillis sociis pervigilari jubentes. Sed poeta cum iter nesciat ad vigilias, Amorem comitem sibi eligit. — Poeta non sine poetica quadam vi atque arte Amoris res gestas nobis proponit; in describenda ejus natura nihil obscuri, nihil repugnans inest, quanquam non omnia epitheta bene disposita sunt, nam illud *ὑπόπτερος* inter *πικρός* et *πολυδαίδαλός τε μύθῳ* non suum locum habet, cum in sequenti demum stropha ad externam formam accuratius describendam transeat poeta; facilius ferri potest, si mutatione plane nulla facta pro *πικρός μικρός* legimus. Enarratio recte procedit; sensim omnes Amoris artes declarantur ita quidem, ut ad majora semper evehatur deus, magis excitetur poetae cupido. Personae ipsae loquentes inducuntur, quia enarrare se res praeteritas plane obliviscitur poeta; v. 78 sodales quasi in re praesente advocantur.

Id unum statim displicet, quod in primo cuculio Amoris crines aureas describit poeta, quanquam huc plane non pertinent, eaque cuculii vis est, ut sententia universa, quae inest in antecedente stropha, in unum contracta proferatur. At modo accuratius carmen consideremus, arte et consilio undique ex diversis carminibus imaginis venustae partes collectas esse, desumtas dicendi formulas, simplicitatem nimis quaesitam esse apparebit. Primum *Ποταμὸς χρυσοδίνης* igne pressus conclamansque ex Homero Il. XXI, 130. 357 desumtus est, in v. 87: *φάρμακον ἐξ Ἑλένης* relegamur ad Od. IV, 220, Achillis socii v. 94 nos commonefaciunt loci Il. XVIII, 354. XXIII, 60. Sed in multis locis et Anacreontem et Anacreontea poetae obversata fuisse apparet, modo compares v. 27: *ἀπὸ δ' ὀμμάτων βολάων-ἔπεμπεν αἴγλην* cum An. 16 (κς'), 7: *ἀπ' ὀμμάτων βαλών με*, v. 39. 40; *παλάμην ἄγαν βραχεῖαν ἐπεμειδία κραδαίνων* cum An. 45 (κζ'), v. 9: *στιβαρὸν δόρυ κραδαίνων*, v. 14: *ὑπεμειδίασε Κύπρις*, v. 55. 56: *ὁ δὲ τοῖς ῥόδοις με βάλλων ὑπέθελγέ πως πρὸς οἶστρον* cum genuino fragmento XV: *σφαίρῃ δηῦτε με πορφυρέῃ βάλλων-συμπαίζειν προκαλεῖται*, v. 76: *βάλεν ἡπάτων τὰ κοῖλα* cum An. 3 (λα'), 28: *καί με τύπτει μέσον ἧπαρ*. Quaesitam simplicitatem satis testantur plurima asyndeta v. 3. 6. 7. 8. 19. 25. 29. 35. 39. 43. 44. 53. 54. 62. 67. 79. 82. 93. 99. Neque ionicae dialecti non curam habebat scriptor, quanquam et atticae plane formae ut v. 6: *ἐβόα*. 8:

ῥείθρων. 12: ἐπιθυμίαν. 67: ἄνθη. 77: χορεία et doricae ut 65: τόλμα ei exciderunt.

Posteaquam, quae in enarrandis Amoris rebus gestis atque fatis carmina versantur, percensuimus, duo nobis occurrunt, quae ad Anacreontem ipsum pertinent. Alterum est nonum (M. ιδ'), a praestantissimis poetis et laudibus cumulatum et imitatione expressum, in quo columba volitans myrrhosque redolens homini alicui, a quo in itinere interpellatur, sese a Venere venditam Anacreontisque famulam factam litteras ad Bathyllum perferre enarrat; qua re perfecta quanquam libertatem ei promiserit Anacreon, tamen libentius apud senem se commoraturam esse. Omnia praeclare excogitata sunt atque eleganter dicta; optime poeta columbam ea enarrantem fecit, quae si ipse enarrasset, et languerent et quaesita simplicitate laborarent; unde Schneider p. 339 sciat, a veterum poetarum usu abhorrere, si columba ab aliquo ignoto homine interrogaretur, equidem nescio; neque cum Welckero, Anacreontem si auctorem ponamus, sibi ipsi nimiam laudem impertiisse existimaverim. Nihilominus carmen ab Anacreonte plane abjudicandum videtur. Primum enim quae columbis usos fuisse veteres ad epistolas perferendas exstant exempla, et ad multo seriorem aetatem pertinent et maximam partem ad Romanos cf. Ael. V. H. IX, 2. Plin. H. N. X, 37. Gravissima autem caussa in eo consistit, quod lepidum illud idylliorum genus, ad quod hoc carmen pertinet, ab elato fervidoque Anacreontis ingenio, a totius illius aetatis indole plane abhorret neque ante Alexandrinorum aetatem ullum ejus vestigium exstat. Neque desunt in odario atticae dialecti vestigia cf. v. 11: πέπρακε, v. 14: διακονῶ, v. 20: μενῶ, v. 22: ὄρη, v. 36: λαλιστέραν; v. 2: πετᾶσαι non a vulgaris Graecae linguae usu abhorret, quae et πέταμαι et πετάομαι promiscue usurpavit, sed ad pristinam aetatem pertinere non videtur cf. Lob. Phryn. p. 581. Ne ἐρασμίη quidem antiquo Graecorum usui satis convenit, cum ubique ἐράσμιος pro feminino quoque genere dicatur. Ἄπελθε pro ἔρρε, ἄπερρε poni a scrioribus grammaticis acute observavit Mehlh. Anth. lyr. p. 83. Quamnam autem aetatem redoleat illud ἀπὸ κοινοῦ v. 22, jam supra disputavimus.

Alterum carmen, quod Anacreontem ipsum spectat M. α', Basilii nomine circumferri solet, quod nisi sequentis odarii titulo: τοῦ αὐτοῦ Βασιλίου non confirmatur. Anacreontis non esse ex ipso argumento elucet: somniat enim poeta conspicere se Anacreontem senem ab Amore ductum, quem cum osculatus sit ab eoque coronam acceperit, acceptam capiti imposuerit, perpetuo se amore urgeri. Basilii aetati sane conveniunt et ὄναρ, quod ad totam sententiam pertinet, inepto loco positum et pleonasmus λέγων προσεῖπεν, quo Graeci priores tum demum utuntur, ubi verba ipsa alterius afferuntur; statim offendunt verba ἐξελὼν καρήνου, cum καθελὼν exspectaveris, neque singularis numerus epici vocabuli κάρηνα in usu sint.

Statim adjungamus duo carmina, in quibus somnia quoque amatoria a poeta proponuntur. In octavo carmine (M.λε′) videtur sibi poeta ludens cum puellis cursum celerem extendere, quam rem cum invideant illi pueri pulcri, osculari eos cupit; jam effugiunt, effugit somnium; miser poeta iterum dormire cupit. Inventio ipsa sane poetica est neque Anacreonte non digna, veteres enim poetas somnia in carminibus protulisse, testantur Sappho fr. 53 et Alcaeus fr. 94. Quod autem Welcker p. 304 satis novitium carmen propter dicendi rationem esse dixerit, nulla plane caussa nititur, non enim ab ionica dialecto defecit poeta neque vocabulis usus est inusitatis. Sed quominus Anacreonti tribuamus carmen, impedit et *v* in *ἐκτανύειν* productum et v. 11 *δέ* in arsi pro longa syllaba usurpatum. — In duodecimo carmine (M.ϑ′) poeta ex gratissimo somnio, in quo Bathyllus menti obversabatur, hirundinis cantu expergefactus in eam invehitur, quomodo puniat, utrum pedibus amputandis an lingua eripienda, haesitans. Argumentum ipsum ad Anacreontem referendum videtur propter lepidam simplicitatem; accedit quod a Proclo et Tzetze ad Hes. Op. 371 *κωτίλη χελιδών* Anacreonti adscribitur, quod Tzetzes sic explicavit *διὰ τὸ λάλος εἶναι*. Atqui et Stephanus et codex Palatinus praebent *λάλη* aut *λαλεῖ*, non *κωτίλη*, ab Agathia Scholastico hirundines *λαλητρίδες* A. P. V. n. 237, 7, a Philippo A. P. VI. n. 247: *ὀρθρολάλοι* vocantur. Nibilominus non statim cum Mehlhornio aliisque illud *λάλη* in *κωτίλη* mutaverim, cum num nostrum odarium grammatico genuinum carmen circumscribenti aut imitanti debeatur nesciamus. Ad argumenti illius ab Anacreonte primo tractati exemplum epigramma et Agathiae l. l. et Marci Argentarii A. P. IX, n. 286 compositum videtur, quorum alterius verba plane cum hoc odario congruunt:

ὄρνι τί μοι φίλον ὕπνον ἀφήρπασας; ἦδὺ δὲ Πύῤῥης
εἰδωλον κοίτης ᾤχετ' ἀποπτάμενον.

At cur non statim nostrum odarium Anacreontis genuinum esse statuis, quod poetae illi seriores imitati sunt? Verba ipsa repugnant Anacreonticae aetati; primum *τὰ ταρσὰ* apud Nonnum et Oppianum demum reperiuntur, tum *ψαλίξω* et *ἐκθερίξω* formae plane doricae sunt cf. Gregor. Cor. p. 327. Quibus cum accedat illud *λάλη* codicis auctoritate servatum, potius grammatico serioris aetatis, qui argumentum ex Anacreonte depromsit, quam Anacreonti adscripserim.

Restat par carminum, quorum altero, quid feminis proprium dederit rerum natura, altero ex qua re agnoscantur amantes declaratur. In priore odario secundo (M.κδ′) primum quid natura rerum dederit tauris, equis, leporibus, leonibus, piscibus, avibus, viris, quo se defendant ornentque, percenset poeta; jam nihil videt quod reliquum sit feminis nisi pulcritudinem, qua et aes et ignis vincatur. Ita instituit poeta, ut semper paria animalium nominarentur maxime diversorum: bos et equus, lepus et leo, pisces et aves.

Idem fere argumentum tractatum videbis in Pseudophocyllide v. 125 squ. Bergk. Lyr. Gr. p. 349; quem Flayder comparavit locum ex Galeno de us. part., huc non quadrat in eoque homini non *φρόνημα* sive *λόγος* sed *χεῖρες* tribuuntur. Quanquam argumentum ipsum jure ad Anacreontem referri potest, tamen cum Mehlhornio p. 273 an ipsum odarium seriore tempore ad genuini similitudinem compositum sit dubitare, quam cum Peerlkampio si ullum hoc ipsum Anacreonti adscribere maluerim. Offendit enim illud *κέρατα* media syllaba producta, quanquam Euripidis exstat locus Bacch. v. 921: *καὶ σῷ κέρατε κρατὶ προσπεφυκέναι*. Ad locum, quem Blomf. praef. Aesch. Pers. XXVII. ex Athen. XI. p. 476. C. protulit Aeschyli:

— *ἀργυρηλάτοις*
κέρασι χρυσᾶ στόμια προσβεβλημένοις,

Sophoclis accedit locus Trach. 519: *ἀνάμιγδα κεράτων* cf. Mehlh. Anth. p. 87; ceteri loci ad multo seriorem aetatem pertinent cf. Orph. ap. Procl. 6, 24. Oppian. Cyneg. 2, 95. 489. Etiamsi cum Peerlkampio ex forma *κεράας* ortum esse existimemus, quae nonnisi apud seriores epicos reperitur, tamen contractio ipsa ab Anacreonte aliena est.

Alterum est carmen quinquagesimum quintum (M. *κς'* +), in quo sicut equi agnoscantur ex signis inustis, Parthi ex tiaris, sic amantium animis tenue quid impressum esse profitetur poeta. Festiva sane sententia est atque venusta, sed quae unicuique aetati, unicuique ingenio lepido adscribi possit. Qua nobis proponitur forma, hanc Anacreontis esse non posse jam vidit Stephanus; Parthorum enim nomen vixdum historicis geographicisque hominibus exaudiebatur, Herodotus enim III, 93 inter innumerabiles gentes Persis subjectas seculo fere postea Parthos affert; quomodo autem in cantilenam pervenire poterat, quae inter compotandum a quovis et caneretur et intelligeretur? Persae tum nominandi erant, non Parthi. Immo carmen ad id temporis pertinet, quo Parthorum nomine omnes Asiae accolae, quin Romani ipsi tenebantur. Optime etiam vestigia amoris animae impressa Platonicum commentum esse vidit Jacobsius cf. Mehlh. Anth. p. 88.

Appendicis loco pauca moneamus de duobus carminibus, quae addi solent Anacreonteis, quanquam utrum Anacreontis annon sint, dubitatio plane excitari non potest. In altero enim carmine poeta se Anacreontem imitaturum esse ipse profitetur. Utrumque autem carmen nonnisi pessimus infimae aetatis foetus est, in quem diligentius inquirere paene piget. Fragmentum secundum (M. *ιζ'*) centonem esse ex pluribus pannis consutum, quibus ipsis quidquid poeticae dicendi rationis est, id ex veteribus poetis, Pindaro, Anacreonte conquisiverunt poetae, ex argumento ipso atque metro apparet. Principio quoties Chrysus ipsum fugiat, sese non persequi profitetur poeta, quippe qui oderit illum quam maxime, ac tum demum amatoriis carminibus vacare possit; si vero superbire coeperit animus, statim accedere Chrysum vimque

poeticam ei auferre; plane igitur abigit Chrysum. Interpretes omnes servum amatum esse illum Chrysum existimarunt; sed si ipse poeta amavit Chrysum, quomodo eum abigere voluerit? nonne tum maxime cum gaudere eo liceret, ad amatoria carmina pangenda excitabatur? Qua de caussa tum demum servus ad herum accessit, si ejus animus superbiebat? Omnia obscura atque perversa sunt, nisi quam Gailius haesitanter ingressus est viam, ut Chrysi nominis ambiguitate ludere poetam statueret, persequimur. Nihil enim est Chrysus nisi aurum, divitiae in universum, quas quantopere fugiat poeta, allegorice declaravit, quam sententiam Richterum amplexum esse p. 57 lector. Divitiis abactis curas quoque abigi ex talentis illis Anacreonti datis satis apparet, ad quae forsitan respexerit poeta. Cui non in mentem venerit oda XXIII (λδ'), qua multo aptius eadem res tractatur? Vix opus est notemus et vitia metrica et dialectorum confusionem, unde quam sero hoc carmen compositum sit, concludas.

Ultimo versu *πόθους κέκλυθι ἀδεῖς* transitus paratur ad sequens carmen, quod nullo plane interno vinculo cum antecedente conjungitur. Posteaquam magna verborum turba praelusit quodammodo poeta carmini, ad tres Phoebo sacratas res citharam, laurum, tripodem accedit quidem decantandas, sed Daphnes solius fabulam enarrat. Quare ex majore carmine fragmentum desumtum cum reliquisque fragmentis consutum videtur. Sectatur autem poeta sublimitatem quandam Pindaricam, qua, si rerum nexum spectamus, nihil ineptius est. Verba ipsa ex Pindaro furatus est ut *σοφίης ἄωτον* cf. P. Nem. III, 29: *δίκας ἄωτος*, Isthm. IV, 18: *σοφίας ἄωτον* et *μελέτη* cf. Isthm. IV, 28. Nonne tacite versu secundo poeta se ipsum Pindaro opposuit, qui et *ἄθλους* decantavit et carminibus ipse certavit? Atque v. 24 squ. poeta ex Pindarica sublimitate ad Anacreonticam levitatem transiturus jaculandi imaginem ex Pindaro desumsit cf. Nem. VII, 71: *μὴ τέρμα προβὰς ἄκοντ' ὦτε - ὄρσαι - γλῶσσαν*, IX, 55: *ἀκοντίζων σκοποῦ ἄγχιστα Μουσῶν*, Isthm. II, 35: *μακρὰ δισκήσαις ἀκοντίσσαιμι*. Ex hymno Apollini dicato in Anacreontei carminis particulam incidimus, qua, ut bibendo effugiamus caniculae aestum, excitamur; *ἄστρον φλογερὸν* esse caniculam, non translata notione pro *οἶστρον* dici, quod existimavit Welcker, qui vanam in eo posuit operam, ut unam sententiam his diversis fragmentis subesse procaret, ex Horatii versu simillimo apparet Od. I, 17, 18: hic — Caniculae vitabis aestus et fide Teia dices — Penelopen etc. Extremi versus, qui a pessimo versificatore his pannis adjuncti videntur, magnam partem sensu carent, quare explicatione plane abstineamus.

In Theodori prodromi dialogo, qui inscribitur *Ἀμάραντος ἢ Γέροντος ἔρωτες* profertur a comico Chaerephonte epithalamium, quod dicit *τὶ τῆς Ἀνακρέοντος μούσης*, An. 62 (ξδ'). Quibus verbis inducti non defuerunt, qui Anacreonti adscriberent, quanquam argumentum, verba, metra, omnia luce

clarius in quam aetatem referendum sit, demonstrant. De metris jam supra disputavimus. Prosodiam non curavit poeta: vocales *α*, *ι*, *υ* promiscue pro ancipitibus usurpantur. Invocat poeta Cyprin, Himerum, Gamum, quorum secundus sero demum divinos consecutus est honores, tertius num usquam cultus fuerit apud Graecos valde dubitaverim; tum Stratoclem commonefacit, utne puellam sibi eripi patiatur; postremo loco fausta vota adiungit. *Κυπάριττος ἐνὶ κήπῳ* de re excellente dici comprobat Theocriti locus Id. *ιή*, 30, ubi Helena inter puellas enitere dicitur *ἅτε — ἢ κάπῳ κυπάρισσος*. Ex re ipsa apparet, ne Theodorum quidem pro Anacreontico habuisse carmen, cum homines illi ipsi Stratocles et Myrilla, cujus nuptiae in dialogo celebrantur, in odario proferantur. *Στίχοις κυδαίνω* nonnisi ex serioris grammatici ore exorta esse possunt, quem decet quoque consonantia verborum in *Αιγαίνω* et *κυδαίνω*.

§. 4.

Finem dissertationi nostrae impositurі haud ab re faciemus, si carmina secundum aetatem, quae iis tribui posse videtur, in genera quaedam disponimus, non quo nulla plane dubitatio nobis de carminum aetate remanserit, sed ut uno intuitu, quae genuina, quae serioris videantur esse aetatis amplectamur.

I. Genuina Anacreontis quae videntur esse carmina: 17 (*γ′*). 38 (*με′*). 43 (*λβ′*).

II. Carmina, quorum argumenta ad Anacreontem pertinent forma mutata, aut quae ex genuinis fragmentis composita videntur: 1 (*κγ′*) 2 (*κδ′*). 4 (*λ′*). 6 (*μα′*). 12 (*ϑ′*). 13 (*ια′*). 14 (*ιβ′*). 21 (*ιζ′*). 22 (*ιζ′*). 23 (*λδ′*). 26 (*μς′*). 34 (*μϑ′*). 37 (*μδ′*). 42 (*μ′*). 46 (*κζ′+*), 47 (*λζ′*). 50 (*νε′*).

III. Carmina non genuina sed a Graecarum litterarum flore non admodum aliena: 11 (*ς′*). 16 (*κς′*). 28 (*ιε′*).

IV. Carmina Juliani. Justinianique aetate maxime secundum epigrammata composita: 3 (*λα′*). 6 (*μα′*). 7 (*κϑ′*). 9 (*ιδ′*). 10 (*ι′*). 19 (*κα′*). 30 (*ιϑ′*). 32 (*ιγ′*). 33 (*κε′*). 35 (*νβ′*). 40 (*λγ′*). 44 (*κη′*). 45 (*κζ′*). 52 (*νη′*). 53 (*νγ′. νδ′*). 55 (*κς′+*). fr. I. (*α′*).

V. Carmina secundum Anacreonteorum exempla composita, quae negligentiore jam metro utuntur: 15 (*ζ′*). 20 (*κβ′*). 25 (*μγ′*). 27 (*μζ′*). 29 (*ις′*). 31 (*η′*). 36 (*ν′*). 39 (*μη′*). 49 (*κδ′+*). 54 (*να′*).

VI. Carmina, quae propter prosodiam immutatam nonnisi septimo et octavo p. Chr. n. seculo adscribi possunt: 8 (*λε′*). 51 (*νς′*). 62 (*ξδ′*). fr. II (*ιζ′*).

VII. Carmina politicis versibus conscripta, quae ad nonum et decimum p. Chr. n. seculum pertinere videntur: 18 (*δ′*): 24 (*λη′*). fr. III (*λϑ′*).

Addenda.

Pag.	Lin.	
3	1	haec exciderunt: Welcker, quae est ejus eximia totius antiquitatis cognitio vere poeticumque ingenium in interna Anacreonteorum natura magis declaranda praeclare versatus est.
70	—	adde haec iis, quae de carmine vicesimo octavo disputata sunt: cuinam aetati adscribendum sit od. XXVIII (ιε′) et od. XV (ζ), elucet quoque ex consonantis ζ usu; in utroque enim positionem ante ζ non factam vides, in altero v. 1. 2: *ἄγε ζωγράφων-γράφε ζωγράφων*, in altero v. 3: *οὐδ' εἶλε πώ με ζῆλος*. Neque enim cum Dorvillio cf. ad Char. p. 670 facimus, qui in universum hoc sibi indulsisse dicit optimos poetas: Homerum, Anacreontem, Theocritum, Orphea, Euripidem, neque cum Lindauo, ut carmina, quae Anacreonti aliis ex caussis adscribi non possunt, nihilominus ei vindicemus, conjectura sanare locos studemus. Qui citantur loci Homerici J-l. II, 634. 824. IV. 103, positionem nominibus propriis per ζ incipientibus non factam probant neque alia est Theocriti ratio cf. IV, 32. In lyricis graecis, quotquot a Bergkio collecti sunt, ne hujus quidem usus ullum exemplum inveni; falso enim p. 55 apud Archilochum illud *με* non produci dixi, cum syllaba anceps sit. In anthologia graeca sane exempla reperiuntur, ubi littera ζ neque ε neque ι producitur cf. A. Pal. IX, 742: *ἐζωπόνησεν*. VII, 152, 5. *καὶ πάλι ζωστῆρ*. Ex serioribus epicis poetis Orpheus semel, Cynegeticorum auctor, Pseudomanetho saepius hac licentia abusi sunt. Quare duo haec Anacreontea hac quidem forma non secundi aut tertii p. Chr. n. seculi fines excedunt. De tota re cf. Dorv. Char. p. 670. Schaefer Dion. Halic. p. 289. Hermann Orph. Argon. p. 761. Weichert Poet. lat. rel. p. 169.

Corrigenda.

Benevolus lector ut ad errata corrigenda, quae plurima esse maxime doleo, animum attendat, quam maxime rogo.

Pag.	Lin.	
1	4	a fin. lege cogitari pr. cogitar.
2	13	lege Tanaq. pr. Taneg. et hic et in ceteris locis.
3	12	dele comma post *ἀρχαίου*.
5	16	a fin. lege nisi pr. quam.
6	13	a fin. lege in eoque pr. in eo.
7	4	a fin. dele comma post grammaticis.
	2	a fin. lege *κς′* pr. *κ′ ς′*.
10	16	a fin. lege *κολακεύειν* pr. *κολα-κεύειν*, *ἐκεῖνα* pr. *ἐκεῖνα*.
10	9	a fin. lege Anacreon" pr. Anacreon.
12	6	interpunge commate post Bathyllum.
13	8	interpunge punctis post (*ϑ′*). I. 7.
	21	lege 32 (*ιγ′*) pr. 32 (*η′*).
	3	a fin. lege 30 (*ιϑ′*) et 44 (*κη′*) pr. 30 (*ω′*) et 44 (*αη′*).
14	1	lege 14 (*ιβ′*) pr. 14 (*β′*).
	23	lege Tartessium pr. Tartissium.
	3	a fin. lege 50 (*νε′*). 6 (*μα′*) pr. 51 (*νε′*). 6 (*γα′*).

Pag.	Lin.	
15	5	interpunge puncto ante Non.
16	16	a fin. lege Graecos pr. Graecos.
19	12	a fin. interpunge puncto post κούρα.
20	2	lege doricae pr. Doricae et hic et in ceteris locis.
21	15	lege 30 (ιϑ′) pr. 30 (ιδ′).
	16 et 17	lege 52 (νη′). 55 (κς′+) pr. 50 (νη′). 53 (κς′+).
	19	lege 18 (δ′), 37 (μδ′), 38 (με′) pr. 18 (ιε′). 36 (μδ′), 37 (με′).
	21	lege 51 (νς′) pr. 49 (νς′).
22	17	a fin. lege (κϑ′) pr. (κδ′); lege 52 (νη′) pr. 50 (νη′).
	9	a fin. lege 53 (νγ′) pr. 51 (νγ′).
	3 et 2	a fin. lege 53 (νγ′), 30. 54 (να′). 1. 25 (μγ′) pr. 51 (νγ′), 30. 50 (να′). 25 (λϑ′).
	1	a fin. lege 50 (νε), 10. 52 (νή), 11. II (νζ′) pr. 48 (νε), 10. 50 (νή), 11. 2 (νζ′).
25	14	a fin. lege Ἀναχρέοντί ἐστι pr. Ἀναχρέοντι ἐστί.
26	16	a fin. adde unum ante τό.
27	10 et 11	lege 16 (κς′). 17 (γ′) pr. 16 (ις′). 17 (ιζ′).
	15	dele comma post iambici.
	16	lege 35 (νβ′). 38 (με) pr. 35 (νε). 38 (μή).
	21	lege 42 (μ′) pr. 42 (με′).
28	7	lege 24 (λή) pr. 24 (μά).
	8 et 9	lege 22 (ιζ′). 26 (μς′). 36 (ν′). 39 (μή). 41 (λς′). 42 (μ′) pr. 22 (ιή). 26 (μϑ′). 36 (νγ′). 39 (να). 41 (λϑ′). 42 (μγ′).
	10	lege 23 (λδ′). 25 (μγ′). 32 (ιγ′). 33 (με′). 54 (να). 4 (λ′) pr. 23 (λζ′). 25 (μς′). 32 (ν′). 33 (κς′). 54 (νδ′). 4 λγ′).
	12	lege od. 33 (κε) pr. od. 33 (νε′).
	19	lege 34 (μϑ′) pr 34 (νβ′).
31	12	lege τί σε δεῖ pr. τί σε δεῖ.
	13	lege od. 9 (ιδ′) pr. od. 8 (ιϑ′).
	16	a fin. lege od. 42 (μ′) pr. od. 12 (μ′).
	14	a fin. lege od. 48 (β′) pr. 47 (β′).

Pag.	Lin.	
31	12	a fin. lege od. 38 (με′) pr. 38 (μή).
32	11	a fin. interpunge majore nota ante jam.
34	10	lege nisi pr. quam.
35	13	lege hos pr. hi.
36	17	adde an ante comes.
	1	a fin. lege in. pr. sp.
43	17	a fin. lege Ἀφροδίτης τρωθείσης pr. Ἀφροδίτης τροθείσης.
	5	a fin. lege ἦσε pr. ἧσε.
44	10	lege δεῖν pr. δεῖς.
	13	lege 23 (λδ′). 47 (λζ′). 24 (λή) pr. 23 (λζ′). 47 (μ′). 24 (μά).
	17	lege 54 (να) pr. 54 (νκ′).
	18 et 19	lege 37 (μδ′). 38 (με). 26 (μς′) pr. 37 (μζ′). 38 (μή). 26 (μϑ′)
47	10	lege calore pr. colore.
48	1	a fin. lege σῆς pr. σῦς.
53	1	lege duae pr. tres.
54	17	lege inscriptum pr. inscripta.
56	14	lege restet pr. restat.
57	5	lege offendimur pr. offendimus.
59	6	a fin. lege XLVIII pr. XVII.
60	3	dele comma post puella.
62	2	a fin. lege ineptius pr. neptius.
63	5	lege recedant pr. recedunt.
64	18	a fin. interpunge commate post dixerit, non post curantes.
	5	a fin. lege Ar. pr. Au.
67	6	dele comma post simplicitas.
70	3	lege Ternite pr. Tornite.
74	14	lege ἄημα pr. αἶγμα, μῦϑοι pr. μύϑοι.
76	1	a fin. lege quasis pr. quovis commate postposito.
77	1	lege deus pr. Deus.
78	9	a fin. dele punctum post πόης.
80	10	a fin. lege liquefacturum pr. liquefactarum.
86	1	a fin. lege sit pr. sint.
88	13	a fin. lege terrebantur pr. tenebantur.
	6	a fin. lege (M. νζ) pr. (M. ις).

Druck von Ernst Stange in Leipzig.

PA 3865 Z5S7
Stark, Carl Bernhard
Quaestionum Anacreonticarum libri duo

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY